





FASTI ROMANORUM LIVIANI,

Hoc est,

SERIES ANNORUM REGUM,

Consulum, aliorumque Magistratuum Romanorum, juxtà Historiam & Calculum TITI LIVII PATAVINI; cum Enarratione & Annotatione diversarum Sententiarum Chronologorum, tàm Veterum quàm Recentium, quoad Calculum, ac varias Lectiones Nominum atque Cognominum Illorum; tùm & Adjectione Libri Capitisque Ejusdem LIVII ad singulos Annos.

His Accesserunt

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ LIVIANUM:

&

ΚΟΡΩΝΙΣ LIVIANA:

Auctore

ELIA CONSTANTIO VON TREWEN SCHRÖDER

GEDANENSI JURISCONSULTO

ET SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS POLONIÆ

SECRETARIO.

GEDANI,

ANNO SANCTO JUBILÆI SS. D. N. CLEMENTIS X. PP.

Sumptibus Auctoris,

Imprimebat DAVID FRIDERICUS RHETIUS, Reipubl. Typographus.



T. LIVIVS PATAVINVS HISTORICORVM
PRINCEPS. IIII. IMPE. TIB. CÆ. OBIIT.

ARBITRIS. AC. PATRONIS
LITERARUM. ATQUE. VIRTUTUM
GRAVISSIMIS. HUMANISSIMIS
ÆQUISSIMIS. BENIGNISSIMIS
OPTUMIS
FASTI. HI. ROMANORUM. LIVIANI
SACRI. SUNTO
DEDICANTE
ELIA. CONSTANTIO. VON. TREWEN
SCHRÖDER
JURISCONSULTO. PATRIO
ET
SACRÆ. REGIÆ. MAJESTATIS. POLONIÆ
SECRETARIO.

VIRIS
GENEROSIS. MAGNIFICIS
NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS
SPECTATISSIMIS. DOCTISSIMIS
DOMINO
BURGGRABIO. REGIO
DOMINIS
PRÆCONSULIBUS. ET
CONSULIBUS
INCLUTÆ. REIPUBLICÆ. GEDANENSIS

LEGUM
QUA. SACRA. QUA. PROFANA.
TEMPORE. AB. IMMEMORABILI
SOLIS
PRÆSIDIBUS. MODERATORIBUS
CUSTODIBUS
OMNEM. SUPRA. INVIDIAM
DIGNISSIMIS
PIENTISSIMIS. JUSTISSIMIS
PRUDENTISSIMIS. FORTISSIMIS
MERITISSIMIS

-ς(o)ς-

PRÆFATIO
Ad
Lectorem Æquum ac Benevolum.

PRæſagit animus multum te, Lector Benevole, miraturum, quod plures ſuperFASTOS præſentes ROMANORUM LIVIANOS ſcripſerim. Fateor equidem, plurimosClariſſimos & de Hiſtoria Romana Meritiſſimos Viros Operam &Eruditionem ſuam in his collocaſſe; ut SeriemAnnorum, Menſium & Dierum initorum Magiſtratuum Romanorum exactam contexerent. Ex Antiquis ſtudium FASTIS Conſularibus conſcribendis impertiti ſunt, primus Verrius Flaccus Libertinus, nobilis Grammaticus, & Divi Auguſti Imp. Nepotum Præceptor: pòſt M. Aurelius Crator M. Aurelii Antonini Aug. Imp. Libertus; Chryſorus; T. Pomponius Atticus; Auſonius Gallus Burdigalenſis, ſub Gratiano Imp. Conſul cum Olybrio V.C.; Paulus Oroſius Presbyter Hiſpanus; M. Aurelius Caſſiodorus Senator V. C. & Inluſtris, Exquæſtor Sacri Palatii, Exconſul Ordinarius, Exmagiſter Officiorum, Præfectus Prætorio Italiæ atque Patritius; Proſper Aquitanicus Leoni Magno Papæ â Secretis; Marcellinus Comes V. C.; & plures alii Anonymi, partim per Joannem Cuſpinianum â ſitu & tineis vendicati, Commentarioque ejus in Caſſiodorum inſerti, partim aliàs exſtantes; quorum omnium adhuc decem ſuperſunt, ſeptem verò injuria temporum periere. Ex Recentioribus, Petrus Piſanus Monachus Caſſinenſis S. R. E. Diaconus Cardinalis; Marianus Scotus Monachus Fuldenſis; Gregorius Haloander; Joannes Cuſpinianus Viennenſis Divo Maximiliano Imp. â Conſiliis, Urbiſque Viennenſis Præfectus; Alexander Sculterus Prutius, Canonicus Varmienſis; Henricus Loritus

Glareanus Patritius Claronensis apud Helvetios; Bartholomæus Marlianus Patritius Mediolanensis; Benedictus Ægius Romanus; Carolus Sigonius Mutinensis; Onuphrius Panuinius Veronensis, Frater Eremita Augustinianus; Franciscus Robortellus Utinensis; Joachimus Grellius; Stephanus Vinandus Pighius Campensis; Sethus Calvisius; Christophorus Helvicus; & alii. Enimverò quotquot eorum, qui ad perscrutandas, restituendas & vendicandas Antiquitates Romanas animum & studium adhibuerunt, quilibet illorum singularem modum & finem habuit. Antè Tabulas Capitolinas (quæ numero quatuor marmori nobilissimo incisæ, & Divi Augusti Imp. auctoritate media Urbe inter Forum & Sacram Viam loco omnium augustissimo conlocatæ, â Gothis autem & Vandalis cum Urbe simul eversæ, fragmentaque ruinis altissimis obruta fuerunt:) erutas; & unam, cæteris penitùs convulsis, â Michaele Angelo Bonaroto Pictore, Sculptore & Architecto eximio, aliisq; artis ejus hominibus peritis, descriptam; omnes ad Henricum Loritum usque ex solis libris & monumentis veteribus FASTOS eos immenso labore collegerunt: Pòst proditas partim mancas & mutilas suppleverunt; partim Commentariis, Scholiis & Annotationibus illustraverunt. Clarum & celebre inter eos Ingenii & Doctrinæ certamen videre est; cùm alii diversas Lectiones Prænominum, Nominum, & Cognominum; alii omissos certorum Magistratuum Annos; alii variantes eorundem Menses & Dies connotant; alii quoque res gestas modò huic, modò alii adscribunt, cunctaque hæc variis ex Historicis antiquis congerunt. Quis circa hæc animi studiique angor ipsi T. LIVIO fuerit, querela Ejusdem Lib. II. cap. XXI. index est: *Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis Magistratibus, ut nec qui Consules secundum quosdam, nec quid quoque anno actum sit, in tanta vetustate, non rerum modò, sed etiam Auctorum, digerere*

rere possis. Onuphrius Panuinius in Principio Commentariorum in Libros Fastorum, sub Capite: *A quibus Tabulæ Capitolinæ primùm editæ; & qua ratione nunc demùm è tenebris Vetustatis erutæ sint; Qui* FASTOS *Consulares conscripserint; & qui in eo studio elaboraverint;* Causas referendo, ob quas non obstante labore, doctrina & ingenio Caroli Sigonii, CONSULARIUM FASTORUM opus aggressus fuerit, inquit: *Ego qui postremus sum ex his, qui huic labori operam navarunt, ab hoc onere facilè recessurus fuissem, nisi me movisset, quod ille tempus Divi Augusti non excesserit; Ego verò ad nostra usq; tempora* (intellige: Divum Imp. Carolum V. Austrium Augustum) *opus ipsum perducendum mihi etiam ab initio proposuerim. Adde quod quum ipse sibi statuerit Tabulas Capitolinas tantùm supplere; ego aliam quandam rationem sum sequutus, nolens me nec ipsis Tabulis, nec alicui Scriptori ita addicere, ut quoties mihi opus esse videretur, non possem etiam ab ipsis diversa, additis rationibus, sentire.* Optimè Ego mihi conscius, nec Solertia, nec Doctrina, nec Ingenio, Carolo Sigonio vel Onuphrio Panuinio in scribendis FASTIS his potiorem, quin inferiorem me esse; juxtà amorem Antiquitatis & Veritatis singulare, propositum meum fuisse haud celo. Propositum enim meum ab initio privatum fuit, cùm post discessum ex Alma Rosarum Megapolensium, in Celeberrima Batavorum Academia Leidensi Maximis & Clarissimis Viris Claudio Salmasio, Bernardo Schotano, Daniele Heinsio, Marco Zuerio Boxhornio Professoribus & Præceptoribus meis gratissima semper memoria colendis Viginti Annorum Juvenis Juris ac Historiarum studiis imbuerer; Memoriæ juvandæ, & Ordinis certi tenendi causa, ex consilio olim Nobilissimi & Consultissimi Viri Petri Olhafii J.U.D. & in Gymnasio Patrio Juris & Historiarum Professoris Publici, Præceptoris mei integrum quinquennium in Speculativa & Practica Philosophia, Jurisprudentia, & Historiis Optumi, in Relectione Historiarum

Chronologicam obſervare ſeriem conſtitueram. Pluribus igitur lectis ac relectis Hiſtoricis, relegendum quoque præhendi TITUM LIVIUM PATAVINUM Editionis Jani Gruteri, qui ex elogio digniſſimo Thomæ Dempſteri in Paralipom. Antiquit. Roman. Joannis Roſini *lib. X. cap. III. pag. mihi MX. col. II. in fine. Optimus & eſt, & habetur Antiquitatis Magiſter*; & judicio Literatiſſimi Viri Iſaaci Caſauboni in Præfat. Polybii *pag. mihi LXV. Magnus Auctor: lactea quadam ubertate dictionis divinitus facundus, amans virtutum, oſor vitiorum, rectus judicii, rerum togæ, rerum ſagi, etſi non ex uſu neque experientia, egregiè tamen peritus: denique ſi quid judico, hoc ſolum ingenium (de Hiſtoricis loquor) Populus Romanus par Imperio ſuo habuit.* Hunc eadem tractare methodo, quâ cæteros Auctores, inſtitui; præſertim Sethi Calviſii, Mathematici & Hiſtorici abſolutiſſimi Opere Chronologico Univerſali adhibito. At, recedere nonnunquam Calviſium in Computatione Annorum ab Urbe Condita quoad Conſules & cæteros Magiſtratus Romanos à Serie & Calculo LIVII, qui inter alia initium Conditæ Urbis Olympiadis ſextæ Anno quarto numerat; atque Dionyſii Halicarnaſſei calculo potiùs, qui initium Conditæ Urbis Olympiadis ſeptimæ Anno primo computat, & ſic biennium ab eo differt ac diſtat, adſtipulari animadvertens; omnem ad evitandam turbationem & confuſionem, Auctoritatemque T. LIVII ſalvandam, FASTOS hos Conſulares, adjecto Libro & Capite Ejusdem LIVII ad initium cujusque Anni Regiminis, pro bono meo privato conſcripſi; diſſentientesqûe Chronologos, quantum ætati iſti Juvenili licuit, cum T. LIVIO conciliavi. Publicum eſt de T. LIVIO judicium Onuphrii Panuinii *Commentar. in Lib. I. Faſtor. ſub Tit. De Differentia, quæ inter Dionyſium & LIVIUM eſt, in horum Temporum Hiſtoria digerenda. pag. mihi* LXII. ſcribentis: *Ego tamen multis argumentis mihi diu antè perſuaſi,*

persuasi, antiquissima hæc Populi Romani gesta, longè diligentius â Dionysio conscripta fuisse; quum LIVII præsertim ea præcipua cura fuerit, nequaquam hæc vetustissima gesta describere; sed ea potissimum monumentis literarum mandare, quæ â secundo Bello Punico, vel paulò antè, ad suam usq; ætatem â Populo Romano gesta sunt; prioribus temporibus, tanquàm â multis diligentissimè descriptis, omissis. &c. Et paulò pòst: *Idcircò præter unam aut alteram rem Dionysium sequi institui, ejusq; rationes LIVII sententiæ præferre, tanquàm ejus Scriptoris, qui ex instituto diligentissimè ea tempora persequutus fuerit.* Et hanc in sententiam transivit etiam Joachimus Grellius, Onuphrii Panuinii Epitomator & Imitator, *in Chronologia in T. LIVII Historiam*, sub Tit. *De causis Dissensionis, seu Pugnantiæ Historicorum in numerandis ac digerendis Annis ab Urbe Condita, pag. mihi VII.* dicens: *Minimè LIVII propositum fuit, vetustissima quæq; Populi Romani gesta accurata explicatione prosequi, quæ â multis diligentissimè descripta & edita jam antè erant, sed ea potissimùm literarum monumentis mandare, quæ paulò antè Bellum Punicum secundum ad suam usq; ætatem â Populo Romano gesta fuissent. &c.* Et paucis interjectis porrò inquit: *Hinc si quis veterem Romani Imperii Originem apud Dionysium legat, temporumq; rationem apud ipsum examinet, ac cum LIVII brevitate comparet, haud dubiè illius diligentiam hujus festinationi præponet. At utriusque instituto considerato, utrique suam laudem æquus Lector deferet, ac si LIVIUS tanquàm ad alia festinans, nonnulla vel omiserit, vel negligentius tractarit, id excusatione potius, quàm insectatione dignum judicabit.* Judicium Grellii mehercule præceps & invidiosum: Onuphrii aliquantulùm moderatius, circunspectius, gravius, loc. cit. perhibentis: *Uter eorum veriora & certiora tradat, meum non est modò judicare, quum utrosque probatissimos & vetustissimos Historiæ Romanæ Scriptores sequutos fuisse constet.* Et, vaticinatus ferè sibimet ipsi similia T. LIVIUS in principio Operis sui: *Facturus*

rus ne operæ pretium sim, si à primordio Urbis res Populi Romani perscripserim, nec satis scio: nec si sciam, dicere ausim, quippe qui quum veterem tùm vulgatam esse rem videam, dùm novi semper Scriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Habet & Dionysius Censores suos. Philippus Beroaldus *in Oratione habita in Enarratione TITI LIVII* ait: *Cæterùm cùm omnes Historici legendi, adeundi, ediscendi Scriptores, potissimùm Latini, rerumque Italicarum, ac maximè Romanarum enarratores, (sicut mihi videtur) sunt adorandi, colendi, lectitandi, nec unquam è manibus dimittendi, idq́ duabus de causis potissimùm faciendum videtur; quoniam & rerum nostratium cognitio magis ad nos, quàm externarum pertinere existimatur, & quod Historici Latini sanctiores, veriores que Græcis Scriptoribus fuisse creduntur. Pugnant enim inter se omnes ferè Græcorum Scriptores, & alter alterius mendacia refellere conatur. Ita Ephorus Hellanicum, Timeus Ephorum, Philinum Polybius, Herodotum quàm plurimi tanquam fabulatorem reprehendunt. Hinc à Satyrico Poeta dictum esse credimus: Quicquid Græcia mendax audet in Historia. Discrepantiæ autem illorum causa hæc potissimùm fuisse traditur, quod nullam unquam Græciæ curam populi adhibuerunt, ut præclara facinora scriberentur ac publicarentur, ideoque magna in Scriptoribus mentiendi licentia fuit, qui cùm partim res gestas ignorarent, partim affectionibus ducerentur, non Historiam conscripserunt, sed mera mendacia. Contrà apud Romanos, ut omnia, prout gesta fuerunt, incorrupta, integra, atq́ fideliter conscripta haberentur, Pontifices Maximi res omnes singulorum annorum literis mandabant, efferebantque in album tabula domui proposita, ut esset populo potestas cuncta cognoscendi, & hi Annales Maximi appellabantur. Hanc autem similitudinem scribendi sequuti sunt Piso, Fabius Pictor, & ille Cato Portius, omnium bonarum artium Magister à Plinio nuncupatus, qui sine ullis ornamentis, sine pigmentorum coloribus, sine fucato nitore monumenta rerum gestarum reliquerunt*

runt nuda, recta atque simplicia, primam illam imprimis observantes Historiæ legem, quæ præcipit, ne quid falsi dicatur, &c. Sethus Calvisius *in Opere Chronologico Universali* sub Anno Mundi 3507. Antē C. N. 441. scribit: *Anno trecentesimo decimo, inquit LIVIUS, quàm Urbs Roma condita erat, primùm Tribuni Militum pro Consulibus magistratum ineunt, circa diem 23. Augusti, id quod consentit cum hac Chronologia. Dionysius contrà affirmat, factum id esse ineunte Anno tertio Olympiadis 84. atque hoc modo id factum esset sequenti Anno: quod si ita, par Consulum amissum esset, quod non verisimile; & Roma à Gallis capta fuisset Anno secundo Olymp. 98. quod pugnaret cum Dionysio. Igitur aberratum à Dionysio videtur. Ineunt igitur Magistratum circà diem 23. Augusti, ut dixi, Tribuni Militares Consulari potestate: A. Sempronius Atratinus. L. Atilius Longus.* Enimverò Græcæ fidei testimonium proprium tandem ipse Dionysius Halicarnasseus *Antiquit. Romanar. lib. VII. cap. I.* perhibet, scribens: *Ferendum erat, si quis paucis annis falleretur in supputatione temporum, præsertim in prisca & multorum annorum Historia.* Et hanc confessionem ipsiusmet Dionysii in patrocinium quoque allegat Literatissimus & Antiquitatis aliàs Scrūtator profundissimus Henricus Glareanus Loritus *in Annotation. in* T. LIVII *lib. IV. cap. XLIII. Verbis, cùm pars major insequentis anni per novos Tribunos Plebis. pag. mihi LI.* intimando: *Notum facimus in unius anni discrimine nullam nos facere difficultatem: quod etiam Dionysius Lib. VII. admonet.* Isaacus Casaubonus *loc. cit. pag. mihi LXIV.* hocce de eo tulit: *Nullam unquam Reipubl. partem attigit, exercitibus nullis unquam præfuit, ac ne interfuit quidem opinor: rerum usum experientia collectum nullum habuit: Historiæ Romanæ partem maximè exilem, maximè incertam & obscuram, in qua se exercet, delegit: omne denique studium suum in dicendi facultate paranda posuit.* E contrà T. LIVIUS tantæ Famæ, tantæ Existimationis fuit, ut viventem Hispani ac Galli, imò aliquando & Gaditanus Nobi-

lis,

Iis, tanquam Oraculum quoddam visendum Romam venerint, coluerint, celebraverint. Quid igitur post Fata? Omni laude, omni encomio, omni commendatione dignus ab omnibus æstimatus est: quarum longam seriem ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΩΝ LIVIANUM meum FASTIS his ROMANORUM LIVIANIS adjectum, recitat. Unum ex omnibus de ipso repeto Elogium Marci Antonii Sabellici *in Orat. de Laudibus Historiæ in* T. LIVIUM. dicentis: LIVIUS *nobilissimam scripturus Historiam, cùm se totum ad imitationem contulisset, visus est mihi effingere sibi copiam Thucydidis, Herodoti candorem, Polybii diligentiam, & in nostris gravitatem Trogi imitatus est, Catonis vetustatem, brevitatem Crispi. Etenim ut converso dicam ordine, quis eo brevior quàm cùm urbis Romæ Originem, & Origini proxima paucis versibus explicat? quis vetustior quàm cùm Facessere & Averruncare usurpat, & alia à Faunorum & Aboriginum seculo repetita? aut quis gravior, quum aut Senatorum sententias scribit, aut* Ducum *Strategemata? aut diligentior, quàm quùm Fabii, Cincii, Pisonis, Quadrigarii, & aliorum scripta comparat? aut candidior, quàm quùm aut temporum momenta, aut locorum situs demonstrat? Quis demùm copiosior, quàm quùm rerum consilia, successus & eventa latè exequitur? Quis præterea in magnis sublimior? aut quis in parvis propior? cui major fides in dubiis constitit? aut in obscuris significantia? quanta rursus verborum copia? quantum sententiarum pondus? quid hypotyposis illa, quæ efficit, ut ea, quæ scribuntur, non scribi, sed geri videantur? Taceo figurarum varietatem, & si nemo fuit in translationibus magis sobrius, nemo in verborum novitatibus verecundior. Creber in sententiis, in affectibus crebrior; & ut breviter dicam, nulli major materia contigit: nullus major facultate ad scribendum accessit, ut dubium sit, utrum stylus materiæ, an verò materia stylo plus contulerit; tantum affirmare possum ex omnibus Historiæ virtutibus, quas Cicero præclarè colligit, quum sit eadem & vitæ magistra, nullam aliam fuisse unquam: neque, ut arbitror, futura est Historia, quæ melius vitam pos-*

sit

ſit in omnes civiles diſciplinas inſtruere, quàm hæc, quam LIVIUS ſcripſit: quæ præterquàm, quod omnis civilis regiminis explicat formas, Regiam, Popularem, Tyrannicam, Paucorum & Optimatium potentiam: nullum eſt virtutis exemplum, quod in tàm longa rerum ſerie non planè eluceat. &c. Sed prolixior fortè in Laudibus, quàm propoſitum exigit: Meretur autem VIR TANTUS extolli, qui ab æmulis & lividis elevatur: Meretur imitationem, ſuperans omnem cavillationem. Lubuit ergò & mihi veſtigiis ejusdem inſiſtere, ac ſicuti præcepta & exempla Virtutum ex geſtis; ita & geſta ex ſerie Temporum obſervare. Enimverò, quemadmodum via facilior, brevior & tutior Duce & Comite gnaro; ſic & mihi in digerendis annis geſtorum Magiſtratuum contigit, ſolertiſſimo præeunte Setho Calviſio. Hunc ego ſum ſequutus; hujus calculum imitatus, tàm in Computatione Annorum Mundi, quàm Antê Chriſtum Natum, & ab Urbe Condita. Verùm, cùm nullus mortalium ſit, qui humani aliquid non patiatur, ſupremum perfectionis apicem & Calviſiu^r vix attingere valuit. Ubicunque is igitur Dionyſium magis eſt ſequutus, & à LIVIO ſive in Prænominibus, ſive Nominibus, ſive Cognominibus, ſive Digeſtione rerum geſtarum in Ordine Annorum ſeceſſit; notavi, emendavi, ordinavi, aut conciliavi. Quodcunque autem factum, non ex arrogantia, non ex temeritate; ſed ſtudio inquirendæ veritatis, & conſervandæ integritatis LIVII. Carolus Sigonius, Onuphrius Panuinius, Henricus Loritus Glareanus, Joachimus Grellius, Stephanus Vinandus Pighius, Chriſtophorus Helvicus, Joannes Freinshemius, & alii, duos omninò aut tres Annos à Livio omiſſos aſſerunt, & ex Locis ipſiusmet LIVII allegatis probare ſatagunt. Quàm ſiniſtrè, quàm perverſe autem Ordinem Hiſtoriæ T. LIVII præfati aliàs Viri multæ Lectionis, Eruditionis magnæ interpretati ſint, partim ex ANNOTATIONIBUS MEIS ad Annos ipſos horum FASTORUM, partim ex Locis ipſiusmet LIVII, quos jamjam adduco, patet. Maximum

enim argumentum eorum eſt, ut juxtà expreſſam numerationem Annorum LIVII Series Magiſtratuum geſtorum incidat. Incidere autem Calculum Computationis meæ cum Annis â LIVIO nominatis Probo ex LIVII *Lib.* I. *Cap. Vlt.* quo dicitur: *Regnatum Romæ ab Urbe Condita ad Liberatam Annos CCXLIV.* Probo ex LIVII *Lib. III. Cap. XXXIII.* ubi; *Anno trecenteſimo altero, quam condita Roma erat, iterùm mutatur forma Civitatis, ab Conſulibus ad Decemviros, quemadmodum ab Regibus antè ad Conſules venerat, translato imperio.* Probo ex LIVII *Lib. IV. Cap. VII.* quo refertur: *Anno trecenteſimo decimo, quàm Urbs Roma condita erat, primùm Tribuni Militum pro Conſulibus Magiſtratum ineunt, A. Sempronius Atratinus, L. Attilius, T. Cæcilius.* Probo ex LIVII *Lib. XXXI. Cap. I.* ubi ſcribit: *Quum in mentem venit, Tres & Sexaginta Annos (tot enim ſunt â primo Punico ad ſecundum bellum finitum) æquè multa volumina occupaſſe mihi, quàm occuparint Quadringenti Octoginta Octo Anni à Condita Urbe ad Appium Claudium Conſulem,* (incluſivè) *qui primus bellum Carthaginienſibus intulit.* (ultimâ nempè Anni regiminis Ejusdem Conſularis parte, proùt *Supplementis* LIVIANIS J. *Freinshemii Lib. XVI. pag. mihi CCXXX. usq; CCXLV.* perſpicere & colligere eſt; quæ juxtà FASTOS hoſce ROMANORUM LIVIANOS Anno Mundi 3686. Antè C. N. 262. Ab U. C. 488. exſtitit.) Probo ex LIVII Epitomatore *Lib. XLVII.* ita ſcribente: *Conſules Anno quingenteſimo nonageſimo octavo ab Urbe Condita magiſtratum, peractis Comitiis, inſequentisque Anni Conſulibus creatis, inire cœperunt.* Probo ex Epitomatore LIVII *Lib. XLIX.* notante: *Tertii Punici Belli initium altero & ſexcenteſimo Anno ab Urbe Condita, intra quintum Annum, quàm erat cœptum, conſummati.* Ex his & pluribus aliis locis T. LIVII manifeſta conſtat veritas Calculi hujus, ſecundùm ſeriem Hiſtoriarum Ejusdem ducti. Conſtat verò, & approbatur Calculus hic etiam ab ipſo S. Calviſio in Anno Mundi 3762. Antè C. N. 186. Ab U. C. 564; Item in Anno Mundi 3766. Antè C.

N. 182.

N. 182. Ab U. C. 568; Item in Anno Mundi 3770. Antè C. N. 178. Ab U. C. 572; & Anno Mundi 3798. Antè C. N. 150. Ab U. C. 600. quibus Annis Calculus Ejusdem cum meo omninò coincidit. Notandum tamen, quando in fine Anni Consules creati sunt, quod integer Annus sequens, veluti maxima pars Regiminis, à me numeretur. Et hoc modo T. LIVIUS etiam particulas primi & ultimi Anni omittit *Lib. IV. cap. XX.* his verbis: *Qui si in ea re sit error, quod tàm veteres Annales, quodque magistratuum Libri, quos linteos in æde repositos Monetæ Macer Licinius citat identidem Auctores; septimo pòst demum Anno cum T. Quintio Penno, A. Cornelium Cossum Consulem habeant.* Intervallum enim Consulatuum M. Geganii Macerini III. & L. Sergii Fidenatis in Anno Mundi 3515. Antè C. N. 433. Ab U. C. 317. quo LIVIO referente A. Cornelius Cossus Tolumnium Regem Vejentium cuspide hastæ transfixit, spolia detraxit, & in æde Jovis Feretrii propè Romuli spolia, quæ prima Opima appellata sola ea tempestate erant, cum solenni Dedicatione dono fixit; & Consulatuum A. Cornelii Cossi & T. Quintii Penni in Anno Mundi 3524. Antè C. N. 424. Ab U. C. 326. Novem Annorum fuit, & Septem duntaxat mentionem fecit: undè primum & ultimum Annum non computavit. Tùm Calculum hunc meum justum esse singulari testimonio suo confirmat Franciscus Robortellus Utinensis *de Convenientia Supputationis LIVIANÆ Ann. cum Marmoribus Romanis, quæ in Capitolio sunt. pag. mihi LII.* his verbis: LIVIUS *ait Decemviros creatos App. Claudio, T. Genutio Coss. Anno trecentesimo altero. Vide quàm rectè* LIVIO *cum Marmoribus conveniat: nam trecentesimo altero tantumdem est, ac si dicas CCCII. & hic modus loquendi non percipitur à Sigonio, putat enim significare CCCI. quod est falsum.* Confirmat id quoque solidam ac raram ob eruditionem inclytus & venerandus Joannes Fredericus Gronovius Sua in Editione LIVII *Lib. XXXI. cap. V.* scribens: *Anno qvingentesimo quinquagesimo ab Vrbe Condita P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Consulibus*

bus bellum cum Rege Philippo initum est. Hoc, numerando Annum completum, meo cùm Calculo coincidit. Et huic omnimodè etiam correſpondet Stephanus Vinandus Pighius (de quo Juſtus Lipſius *Cent. II. ad Belgas. Epiſt. LI. Pighius ergò valet, vivit immortalitate ille dignus Senex? Valeat & ſcribat, planè alter* LIVIUS, *indefeſſi calami & ſtyli. Mirabilis vigor in illa ætate, & quem ego nec voto adſpirem.*) *Annal. Romanor. Ann. P. R. C. CDXLIV.* hæcce inſuper addens: *Quæ omnia* LIVIUS *Faſtis Romanis conformia refert.* Hanc conformitatem ergò T. LIVII cum Faſtis Romanis non tantùm in Serie Annorum; ſed & Prænominum, Nominum & Cognominum Magiſtratuum Romanorum præſenti hoc TRACTATU ad exemplum T. LIVII *Lib. III. Cap. IV. & Lib. XXI. cap. XXV.* exhibeo. Cuncta ab initio, ut dixi, pro bono meo privato: nunc, ſi placuerit, publico: ſin minus, adhuc meo. Haud temerè tamen in lucem me produxiſſe LIBRUM hunc quisquam exiſtimet, cùm viginti ſuprà Annos eum ſuppreſſerim, modò à Viris Literaturæ & Mei Patronis ad edendum rogatus. Non capto hoc Laudem; ſed deprecor Invidiam: Gratiam expeto; Gloriam declino.

——— ——— *Si quid habes rectius iſtis,*
Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

Quod ſi favebis Lector, habebis à Me integrum LIVIUM cum novis plenioribusque Summariis Librorum Capitibus ſuis notatis, & Obſervationibus ad marginem tùm Chronologicis, tùm Politicis, locisque per omnem Hiſtoriam ejusdem T. LIVII Parallelis, intrà Muſæum meum paratum exiſtentem. Manet intereà Antiquiſſimum Veriſſimum:

Non omnia omnibus; non omnes;
Non omnia; nec omnes mihi
Placent. Et quinam Ego omnibus?
Paucis Bonis; Uni DEO
Curo placere. VALE!

Venerabilis
COLLEGII SCHOTTLANDENSIS SOCIET. IESU
penes Gedanum

ELOGIUM

In gratiam Dignisſimi Auctoris
Excellentisſimi & Magnifici Domini

DN. ELIÆ CONSTANTII VON
TREWEN SCHRÖDER,

Iurisconſulti & Sereniſsimæ Regiæ Majeſtatis
Poloniæ Secretarii.

Aſſurge vel ex ipſis cineribus
Ad gratam hujus Nominis memoriam
TITI LIVI:
Tuus Dædalus eſt;
Ejus calamis trans maria, trans Delos Inſulas,
Thulen usque felicior volas Icarus.
Eum venerêre neceſſe eſt,
Cujus luce iterum lucem vides, & in luce videris,
Superſtes poſt fata vivis,
Ex ipſis Cineribus Phœnix renaſceris.
Quotquot anteà Cœli tui fuêre Lumina & Numina,
Dii minores, ſidera erratica, ignes fatui:

Quia

Quia non Sacris ignibus collucentes:
Solus ille Sol,
Qui luſtrat & illuſtrat abſcondita:
Umbras non obſcuris; Sacris nempè diſtinguit Luminibus.
Si Lacteum quoque MARE diceris,
Nullus in te Palinurus: nullus viæ peritior Nauclerus,
Felicior Polycrates
Illud ſibi, multis alioqui infidum, deſponſavit:
Stratagematum ille Syrtes & Charybdes ſuſtulit;
Ne in eas alii inciderent:
Verborum Syrenulas melior vitavit Ulyſſes:
Ut tutius rebus ad immortalitatem Nominis navigaret:
Fucum Oratorium deſeruit: Voluit nimirum ad Veritatis
Auream appellere Cherſoneſum.
Amaris dulcia immiſcuit; ut alliceret:
Ad guſtum Sapientiæ condivit inſipida; ut placeret:
Salſa & inſulſa, non tàm Salibus, quàm Sale Prudentiæ
Temperavit;
Ut Famam immortalis Nominis conſervaret.
Certè
Si Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci;
Ille quoque ferat neceſſe eſt:
Utpote qui dulce, quia Lacteum, utilitate Sacræ
Et profanæ Hiſtoriæ permiſcuit.

At

At quidni ille omne ſerat Punctum,
Qui omnibus numeris abſolutus eſt ?
Tullium in Roſtris, Ariſtotelem in Organo ,
Iuſtinianum in Codice crederes.
Verè ELIAS: ejus Spiritus non habiturus Eliſæum:
Aliàs ELIAS non futurus, niſi ELIÆ Spiritum
Sic probaſſet.
Re & Nomine CONSTANTIUS:
CONSTANTII nempè & Conſtantis viri eſt:
Levibus ad immortalitatem non moveri.
Levitatem calami in librum hunc non admiſit;
Niſi dum gravem manui deponeret.
Quidquid illud eſt, grave eſt: quia aureum,
Auro cedroque notanda; Faſtis inſcribenda.
Regum enim, Imperatorum, Pontificum Nomina
Et geſta continet:
Gravia, quia grandia.
Dignus certè his & ipſe Faſtis:
Dignus quem LIVIUS & LIVIUM ille commendet.
Coronis hæc placeat non Apollini tantùm,
Sed & Múſis.
Operis coronis ducat ad Honoris coronam:
(Vel ſi navem intelligas)
Puppi hac ad Immortalitatem Nominis devehatur.

Sed

Sed & Tu, Magnifice Domine,
Frustrà IURISCONSULTUS fuisses;
Nisi sic Tuo Nomini Consuluisses.
Rectè JUBILÆI tempore,
Ut si quid & ego in Auctorem peccaverim,
Indulgentiâ Plenariâ deleatur.
Sub CLEMENTE Pontifice:
Ut Clementiam ubique Lectoris sortiaris.
Discite memores Posteri:
Sic Iure Consultissimo, immortalitatem Nominis
Demereri.

Aliud

Aliud
Eidem Doctissimo Auctori
Excellentissimo Domino

DN. ELIÆ CONSTANTIO VON TREWEN SCHRÖDER

Ὠδὴ Συγχαίρουσα.

INter ſeveræ Regna Proſerpinæ,
Umbrisq; mœſtas Eumenidum domos,
Ad furva Cocyti fluenta,
Tænarias agitantis undas,

Præco Latini Nominis, Auſonum
Fœcunda rerum Gloria LIVIUS,
Decus Patavini Trionis
Sic proprios recreâſſe Manes

Fertur: Perennes non mihi concinat
A morte leſſus Præfica: Non ego
Expertus indignata Noſtræ
Fata queror ſubiiſſe Vitæ

Immitem fuſum: pauca licet mihi
Duxit protervo ſtamine ſecula;
Tamen ferales inter Umbras
Parte mei potiore vivo.

Nectet

Nectet perennes laudis adoreas,
Quisquis Latinæ Rudera Gloriæ &
Sudore conſecrata volvet
Ingenii monumenta Noſtri.

Me fœderatis trans liquidum aëra
Vexêre pennis Numina, doctior
Quibus Minerva liberales
Eloquii reſeravit amnes.

An & Borusſis hæc mihi volvitur
Fortuna terris? Sarmatico quoque
Onuſta laudis LIVIANÆ
Infremuit pelago carina?

Agnoſco ſacros (fas mihi dicere
Muſis amicum Nomen, & aureis
Per docta ſcribendum theatra
Nomen aquis, pretioſiore

Quas dives Hebrus volvit in alveo)
Vultus SCHRÖDERI: Te mihi contigit
Auctore publicata Famæ
Atria, ſideribusque notas

Patere ſedes.. Cuncta ſub ordinem
Reducis altæ Lege Scientiæ,
Et caſtra FASTORUM decenti
Per ſeriem Latiosque fasces

Meta-

Metâre turmâ. Quid memorem potens
Pectus ſub ipſis creſcere molibus,
Auſamque Ponto LIVIANÆ
Hiſtoriæ fluitare Mentem?

Sic per profundos Te Sapientia
Duxit receſſus, ipſa vel æquoris
Haurire Romani fluenta,
Prima Tuo fuit hæc labori

Objecta meſſis. Neſcius aggredi
Minora, niti ſuetus in ardua
Virtutis, & prenſare docto
Conſpicuos calamo triumphos.

Serus futuri temporis accola
Marmor Lechéo ponet in æquore,
Nullis laceſſendum procellis,
Quod memores poſitum per annos

SCHRÖDERIANÆ Nomina Gloriæ
Narrabit undis: QUI LIVIUM VETAT
MORTIS SUBIRE JURA, EODEM,
QUO LIVIUS, CELEBRETUR ORE.



FASTI ROMANORUM LIVIANI.

I. DYNASTIA ROMANORUM, QUÆ EST ABORIGINUM.



Rigines Gentium primæ ſicuti antiquisſimæ; ita obſcurisſimæ, ut Hiſtoriis Fabulas nonnunquam miſceri Antiquitatum Scrutatores ſæpiùs conqueſti fuerint. Ipſe TITUS LIVIUS, ille Romanæ longè Princeps Hiſtoriæ, celebratus ab Iſaaco Caſaubono *in Præfat. ad Polybium pag. mihi 28.* animum ſuum in ſcribenda Hiſtoria Romana, in Præfatione ejus, explicans, queribundus edisſerit: *Quæ antè conditam condendamvè Urbem, Poëticis magis decora Fabulis, quàm incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, in animo eſt. Datur hæc venia Antiquitati, ut miſcendo Humana Divinis, primordia Urbium auguſtiora faciat. Et, ſi cui Populo licere oportet, conſecrare Origines ſuas, & ad Deos referre Auctores: ea belli gloria eſt Populo Romano, ut quum ſuum, Conditorisq; ſui Parentem Martem potisſimùm ferat: tàm & hoc Gentes humanæ patiantur æquo animo, quàm Imperium patiuntur. Sed hæc & his ſimilia, utcunq; animadverſa, aut exiſtimata erunt, haud in magno equidem ponam diſcrimine.*

Sic Joannes Annius Viterbenſis *de Etruſca ſimul & Italica emendatisſima Chronographia Fol. mihi* 249. *pag.* 1. de Primis Aboriginum Regibus in Italia hæc ſcribit: *Eſt autem tempus à fundata Dardania usq; ad exciſam, quod publica fide Annalium Regum Trojæ Archilochus prodit, & nos in ejus Commentariis explanavimus copiosè, CC. IIIC. annorum. Totidem ſupputat Euſebius de Temporibus, tandem Temporum publicam fidem ſecutus. Porrò à condita Dardania, usq; ad Primum Annum Itali, ex publica fide Antiquitatum, Beroſus Centum & Quinquaginta Septem Annos colligit per Reges Asſyrios. Quos ſi ſuperioribus adjicias, erunt Anni CCCC. LIV. à primo Anno Itali usq; ad Æneam & Trojanum excidium. Quod profectò, & altera publica fide temporum Subregulorum Latii, ex Beroſo & Manethone transſumptorum, ita oſtenditur: Mortuo Heſpero fratre ITALUS reasſumſit Vetuloniæ imperium, relicta Filia Roma in Capena oppido, quod ſub Aventinum fundaverat, ùt asſerit Fabius Pictor de Origine Urbis Romæ. Igitur ut Beroſus & Manethon ſignificant, ROMA regnavit in Latio Annis XLVI. ROMANESSUS ejus Filius, LXXIX. PICUS PRISCUS, LVII. FAUNUS PRISCUS, XXX. ANNUS FAUNIGENA, qui teſte Sillio locavit Agillam Filiam*

Trasimeno filio Turreni, regnavit Annis LIV. *VULCANUS*, XXXVI. *MARS cognomine* JANUS, XXIII. *CÆCULUS cognomine SATURNUS*, XXXVI. *PICUS JUNIOR*, XXXIV. *FAUNUS JUNIOR*, XXIV. *LATINUS Æneæ posteà socer*, XXXVIII. *Ergò etiam per Subregulorum Latii publica tempora demonstratur publica & probata fide fuisse ab Italo ad excidium Trojanum Annos* CCCC. LIIII.

Et hujus vestigia premit ac persequitur Alexander Scultetus Prutius Canonicus Varmiensis *in Sua Chronographia typis edita Romæ Anno M. D. XLVI.* quâ Initium Regni Aboriginum ponit in Anno Mundi 2326. Antè Christum Natum 1634. Regnante Italo Atlante; in quo à computatione præfati Joannis Annii *loc. cit. Fol.* 246. *pag.* 1. recedit *primò*, quod dictus Joannes Annius Italum Atlantem; è contrà Alexander Scultetus Filiam Itali Romam primum Aboriginum Regem, & sic porrò cæteros sequentes, dicat ac numeret; indèque Joannes Annius præ Alexandro Sculteto uno Rege abundet: *Secundò*, quod juxtà calculum Joannis Annii *loc. proximè allegato* Rex Italus Atlas annos XIX; quoad computationem verò Alexandri Sculteti idem Rex Italus Atlas IX. saltem annos regnaverit. Hinc præmemoratus Alexander Scultetus refert & computat, quasi in Ordine Regum Aboriginum fuerit:

I. ROMA, Filia Regis Itali Anno Mundi 2336. Antè Christum Natum 2624. quæ regnavit annos XLVI.

II. ROMANESSUS SATURNUS ejus Filius A. M. 2382. Antè C. N. 1578. qui regnavit annos LXXI; juxtà Joannem Annium verò *loc. cit. Fol.* 249. *pag.* 1. regnavit annos LXXIX.

III. PICUS PRISCUS, A. M. 2453. Antè C. N. 1507. qui regnavit annos LVII.

IV. FAUNUS PRISCUS, A. M. 2510. Antè C. N. 1450. qui regnavit annos XXX.

V. AMNUS FAUNIGENA, A. M. 2540. Antè C. N. 1420. qui regnavit annos LIV. Hic Rex à prædicto Joanne Annio *loc. cit. Fol.* 249. *pag.* 1. legitur: ANNUS FAUNIGENA.

VI. VULCANUS, A. M. 2594. Antè C. N. 1366. qui regnavit annos XXXVI.

VII. MARS ITALUS, aliàs JANUS JUNIOR, A. M. 2630. Antè C. N. 1330. qui regnavit annos XXIII.

VIII. CÆCULUS, aliàs cognomine SATURNUS JUNIOR Filius, A. M. 2653. Antè C. N. 1307. regnavit annos XXXVI.

IX. PI-

IX. PICUS JUNIOR, A. M. 2689. Antè C. N. 1271. regnavit annos XXXIV.

X. FAUNUS JUNIOR, A. M. 2723. Antè C. N. 1237. regnavit annos XXIV.

XI. LATINUS ſocer Æneæ, A. M. 2747. Antè C. N. 1213. regnavit annos XXXVIII.

Atque ita ſecundùm Computationem dicti Alexandri Sculteti Dynaſtia Aboriginum duravit Annos CCCC. IL; juxtà Calculum autem Joannis Annii Annos CCCC. LVII.

Enimverò, cùm ſalebroſas & incertas Originum harum Antiquitates ſcrutari, nec operæ pretium, nec intentioni conveniens ſit; Sagacisſimum & Accuratisſimum Chronographum Sethum Calviſium, veluti unum omnium hoc Sæculo Principem, in Opere ejus Chronologico Univerſali & Abſolutisſimo, quoad Annos tùm inchoati, tùm continuati Regiminis, quàm maximè ſequor; cui Aboriginum Reges fuêre:

De h man Dyn Prim tus L in Hi ſua R na ni ſcrip	ac Ro orum aſtia a Ti- ivius ſtoria oma- hil ſit.	Anni Mũdi.	Antè Chri- ſtum Natũ.	Antè Urbẽ Ro- mam Con- ditã.	
		2625	1323	573	I. JANUS, Creuſæ (Filiæ Erechtei Athenienſium Regis) & Apollinis filius; qui regnavit annos XVI.
. .	. .	2641	1307	557	II. SATURNUS, qui regnavit annos XVII.
. .	. .	2658	1290	540	III. PICUS, qui regnavit annos XXXVII.
. .	. .	2695	1253	503	IV. FAUNUS, qui regnavit annos XLIV.
. .	. .	2698	1250	500	Evander, Filius Mercurii & Carmentæ, Nymphæ cujusdam Arcadicæ, à Græcis Themis appellatæ, cum paucis Arcadum ab urbe Palantio ortam ob ſeditionem in populo duabus navibus in Italiam profectus eſt, & Carmentæ conſilio tumulum non longè diſtantem à Tiberi, qui nunc fermè in meditullio Romanæ Urbis ſitus eſt, ex donatione Regis Fauni occupavit, & apud

pud eum vicum parvum, hominum è Græcia advectorum capacem, construxit, nomenq; Palantium â vetere Patria oppidulo imposuit; posteà â Romanis Palatium dictum. Hæc Dionys. Halicarnass. *Antiquit. Roman. lib. 1. cap. 31. & 32.* atque ex eo Seth. Calvis. *in Oper. Chronolog. Univers. sub Anno Mundi 2698. Antè Christum Natum 1250.*

. . . . 2715 | 1233 | 483 | Hercules, cùm Laomedontem Trojanorum Regem occidisset, expugnato Ilio, captivos multos secum in Hispaniam abduxit, & indè in Galliam, ubi Alexiam Urbem condidit: Indè in Italiam abiit ad Evandrum, cui tradidit quosdam Arcades, quos habebat, & captivos Trojanos, quibus Evander montem Capitolinum concessit. Hercules tùm interfecit etiam Cacum insignem in Italia Latronem. Dionys. Halicarnass. *loc. cit. cap. 34. & sequentibus.* & Seth. Calvis. *cit. loc. sub Anno Mundi 2715. Antè C. N. 1233.*

. . . . 2739 | 1209 | 459 | V. LATINUS, qui regnavit annos XXXII. Fauni hic Filius habitus fuit, cùm revera esset Filius Herculis ex Lavinia, ab eo, priusquàm Fauno daretur in uxorem, imprægnata. Dionys. Halicarnass. *loc. cit. cap. 43.* & ex eo Christoph. Helvic. *in Theatro Historico & Chronologico sub Anno Mundi 2739. Antè C.N. 1209.*

Hæc igitur DYNASTIA ROMANORUM PRIMA juxtà Calculum Sethi Calvisii duravit Annos C. XLVI.

II. DYNA-

II. DYNASTIA ROMANORUM,
QUÆ EST ÆNEADARUM, REGUM LATINORUM.

Titi Hist rum man LIBER	Livii oria- Ro- arum CAPUT	Anni Mūdi.	Antè C. N.	Antè U. C.	
. . I	1&2	2771	1177	429	I. Latinorum Rex ÆNEAS, propter raptum Helenæ captâ dirutâque Trojâ in Latium egressus, Regisque Latini Filiâ Laviniâ (Dionys. Halicarnasseus *Antiquit.* Roman. *lib.* 1. *cap.* 64. & 70. scribit: Lavina) in matrimonium acceptâ, post obitum Soceri hæres Regni relictus, regnavit annos III.
. . I	. 3	2774	1174	426	II. ASCANIUS Filius Æneæ, Imperii gubernationem suscipiens Anno pôst captam Trojam VII. exacto, regnavit annos XXXVIII. Hunc Sethus Calvisius *in Opere Chronolog. Univers. sub hoc Anno*, non numerato Ænea primum Latinorum apud Albanos Regem nuncupat, & sic unum ex Regibus Latinorum minùs numerat, quàm Titus Livius *Histor. Roman. lib.* 1. *cap.* 3. & Dionys. Halicarnass. *Antiquit. Roman. lib.* 1. *cap.* 69. 70. 71. & 72.
. . I	. 3	2812	1136	388	III. SILVIUS Filius Ascanii, regnavit annos XXIX. Dionysius Halicarnasseus *Antiquit. Romanar. cit. lib.* 1. *cap.* 70. refert: Silvium Fratrem Ascanii fuisse; cui adstipulatur Seth. Calvisius *in Opere Chronolog. Univers. sub hoc Anno*; qui tamen ubique SYLVIUS per Y scribit. Alexand. Scultetus *in Chronogr.*

					nogr. sua sub A. M. 2825. Antè C. N. 1135. Cognomen addit: SYLVIUS POSTHUMUS: imitatus Dionyſ. Halicarnaſſeum *loc. proximè allegato cap. 70.* dicentem: *Aſcanio autem defuncto Regni ſui trigeſimo octavo anno, Silvius aſſumpſit imperium, Frater Aſcanii, pòſt mortem Æneæ ex Lavina Latini Filia natus; quem ferunt inter paſtores educatum in montibus, &c.*
..I	.3	2841	1117	359	IV. ÆNEAS SILVIUS, Filius Silvii, regnavit annos XXXI. Vid. Dionyſ. Halicarnaſſ. *loc. cit. cap. 71.*
..I	.3	2872	1076	328	V. LATINUS SILVIUS, Filius Æneæ Silvii, qui regnavit annos LI. Alex. Scultetus *loc. cit. in A. M. 2885. Antè C. N. 1075.* Annos Regiminis Latini Silvii Regis numerat L. At hunc refutat Dionyſ. Halicarnaſſ. *loc. proximè allegato.*
..I	.3	2923	1025	277	VI. ALBA SILVIUS Latini Filius, regnavit annos XXXIX.
..I	.3	2962	.986	238	VII. ATYS SILVIUS Albæ Filius, regnavit annos XXVI. Dionyſ. Halicarnaſſeus *Antiq. Roman. cit. lib. 1. cap. 71.* tres hos ſibi ſuccedentes Reges tùm aliis Nominibus, tùm Ordine inverſo refert: *Pòſt Albam Capetus viginti ſex annis regnum tenuit; Capys deindè annis duodetriginta. Calpetus pòſt hunc in regno annum attigit tredecimum.* Hunc ſequitur Seth. Calviſ. *loc. cit. ſub. hoc Anno.* Alexand. Scultetus *loc. cit. in A. M. 2975. Antè C. N. 985.* ſcribit: *Atys Sylvius Fil. aliàs Epitus Rex VII, regnavit annos XXIV.*
..I	.3	2988	.960	212	VIII. CAPYS SILVIUS Filius Atys, regnavit annos XXVIII.
..I	.3	3016	.932	184	IX. CAPETUS SILVIUS Filius Capys, regnavit annos XIII.
..I	.3	3029	.919	171	X. TIBERINUS SILVIUS Capeti Filius, regnavit annos VIII. Hic in commiſſo juxtà fluvium Albulam prælio periit, rapidisque

					que gurgitibus ejus abreptus, prisco fluvii nomine mutato, Tiberinus ut pro Albula vocaretur, fecit; teste Dionys. Halicarnasseo *loc. proximè allegato.*
..1	.3	3037	.911	163	XI. AGRIPPA SILVIUS, Tiberini Filius, regnavit annos XLI. Alexand. Scultetus *loc. cit. in A. M.* 3048. *Antè C.* N. 912. Annos regiminis Agrippæ Silvii, Tiberini Filii, Regis XI. numerat XL.
..1	.3	3078	.870	122	XII. ROMULUS SILVIUS, Filius Agrippæ, regnavit annos XIX. Dionys. Halicarnass. *Antiq. Rom. lib.* 1. *cap.* 71. appellateum ALLADIUM SILVIUM. Alex. Scultetus *loc. cit. in A. M.* 3088. *Antè C.* N. 872. nomen Regis hujus XII. scribit: AREMULUS FIL.
..1	.3	3096	.852	103	XIII. AVENTINUS SILVIUS Filius Romuli, regnavit annos XXXVII. Ab hoc uni è septem Urbis collibus nomen datum est.
..1	.3	3132	.816	.66	XIV. PROCA SILVIUS, Aventini Filius, regnavit annos XXIII. Seth. Calvis. *loc. cit. sub hoc Anno* legit: PROCAS.
..1	.4	3155	.793	.43	XV. AMULIUS SILVIUS, Filius Procæ, pulso Fratre Numitore, regnavit annos XLII. Alexand. Scultetus *loc. cit. in A. M.* 3167. *Antè C.* N. 793. Annos Regiminis Amulii, PROCÆ Filii, Regis XV. numerat XLIII.
..1	.6	3197	.751	..1	XVI. NUMITOR SILVIUS Procæ Filius & Amulii Frater, auxiliis Romuli & Remi ex Rhea Silvia Filia Nepotum, Fratre Amulio occiso, Regnum occupavit, regnavitque annos II. Alexand. Scultetus *loc. cit.* omittit omnimodè Regimen Biennale Numitoris, Initiumque Regiminis Romuli Regis collocat in A. M. 3210. Antè C. N. 750.

Hæc DYNASTIA ROMANORUM SECUNDA duravit Annos CCCC. XXIX.

III. DYNASTIA ROMANORUM, QUÆ EST ROMULI ET SUCCESSORUM REGUM.

Hìc incipit Regnum Urbis Romæ.

..1	6&7	3198	.750	Ipse Annus Urbis Conditæ. Post Urbem Conditâ.	I. ROMULUS, qui cum REMO gemini ex Rhea Filia Numitoris Regis Anno Mundi 3172. Antè Christum Natum 776. Antè Urbem Conditam 26. concepti, T. Livius *lib.* 1. *cap.* 4. non XVII. Annorum Adolescentes, sed XXVI. Annorum Viri erant, cùm Urbem Romam conderent. Hic ergò ROMULUS, occiso Amulio Silvio Anno Mundi 3197. Antè C. N. 751. Antè Urbem Conditam I. Livius *lib.* 1. *cap.* 5. & Numitoris Avi Materni in Regnum restituti Anno Secundo, videlicet Anno Mundi 3198. Antè C. N. 750. Ipsomet Anno Conditæ Urbis, collectis ex Latinis, Albanis & Pastoribus Colonis ad tria Millia hominum, famosissimam URBEM ROMAM condere aggressus est; & regnavit Annos ab Urbe Condita XXXVII.
..1	18	3236	.712	.38	II. NUMA POMPILIUS, pòst Annuum Interregnum, quod fuit Anno Mundi 3235. Antè C. N. 713. Ab Urbe Condita 38. Livius *lib.* 1. *cap.* 17. Rex nominatus regnavit Annos XLIII. Hìc ad tollendum scrupulos & errores multos multorum Notandum: Quod Annus hic Interregni partem Anni præcedentis, & partem sequentis sibi vendicet.

III. TUL-

..1	22	3279	.669	.81	III.	TULLUS HOSTILIUS, Hoſtilii, qui in prælio cum Sabinis ceciderat, & Herſiliæ Nobilisſimæ fœminæ Nepos, à Romanis Rex creatus, regnavit Annos XXXII.
..1	32	3311	.637	113	IV.	ANCUS MARTIUS, Numæ Nepos, à Senatu & Populo Rex electus regnavit Annos XXIV.
..1	35	3335	.613	137	V.	L. TARQUINIUS PRISCUS, ab Anco Rege filiis ſuis duobus relictis Tutor conſtitutus, ſub tempus Comitiorum hiſce venatum ablegatis, Populo Romano habitâ concione perſuaſit, ut ſe Regem crearet, regnavitque Annos XXXVIII.
..1	41	3373	.575	175	VI.	SERVIUS TULLIUS, Tarquinii Gener, regnavit Annos XLIV.
..1	48	3417	.531	219	VII.	L. TARQUINIUS SUPERBUS Servii Tullii Gener, regnavit Annos XXV.

Hæc DYNASTIA ROMANORUM TERTIA duravit Annos CCXLIV.

IV. DYNA-

IV. DYNASTIA ROMANORUM, QUÆ EST CONSULUM.

..1	60	3442	.506	244

DIES REGIFUGII L. TARQUINII SUPERBI numeratur in Annum Mundi 3442. Antè Christum Natum 506. Ab Urbe Condita 244. Diem sextum Kalendarum Martii sive 24. Februarii secundùm Calendarium Romanum, vel juxtà Calendarium Julianum in Diem 4. Aprilis. Inierunt ergò & Consularem Magistratum eodem hoc tempore L. JUNIUS BRUTUS & L. TARQUINIUS COLLATINUS. Hæc juxtà mentem Sethi Calvisii *in Opere Chronologico, qui sub Anno Mundi* 3442. Antè C. N. 506. ita scribit: *Sextus Tarquinius, Filius Regis L. Tarquinii Superbi laude Lucretiæ, omnibus sexus muliebris apud Romanos præstantis, incensus, eam per vim stuprat, quæ sese, cùm Scelus Tarquinii enarrasset, sua manu interfecit. Junius Brutus cum aliis hoc scelere permotus, Regem Urbe cùm tota Familia expellit, ipse JUNIUS BRUTUS cum L. TARQUINIO COLLATINO Lucretiæ marito Consul creatur, quatuor Mensibus antequàm novus Annus iniret.* Et huic Dionysius Halicarnass. *lib.* 5. *cap.* 1. *in princ.* facem prætulit scribens: *Regium ergò apud Romanos imperium, cùm Annos ab Urbe Condita Ducentos Quadraginta Quatuor perdurasset, & sub ultimo Rege in Tyrannidem versum esset, his de causis ab his viris est eversum. &c.* Et mox: *Introducto igitur Optimatum imperio, cum Quatuor circiter Menses Anno illi explendo deessent, Consules, qui primi* Regiam *potestatem sumpserunt, Lucius Brutus, Lucius Tarquinius* Collatinus. *&c.* Livius autem in Historia sua Romana nihil expressi de Die vel Mense Creatorum horum primorum Consulum habet; saltem *lib.* 1. *cap. ult. in fine*

hæc

hæc verba ſcribit: L. TARQUINIUS SUPERBUS *regnavit Annos V. & XX. Regnatum Romæ ab Condita Urbe ad Liberatam Annos CCXLIV. Duo Conſules indè Comitiis Centuriatis à Præfecto Urbis ex Commentariis Servii Tullii creati ſunt*, *L. JUNIUS BRUTUS, & L. TARQUINIUS COLLATINUS*. Præter hoc igitur, quod ipſemet Calviſius loc. cit. fatetur: *Caput Anni Romani vagum fuiſſe, evidenter in Hiſtoria Romana demonſtrari; Cùm Annus inſtituti Calendarii Romani à Numa incertus ſit*: Confirmant hæc verba Livii citata, Creationem Conſulum horum in Comitiis Centuriatis factam fuiſſe. Joannes Roſinus autem *Antiquit. Romanar. lib. 6. cap.* 12. ſcribit: *Nulla Comitia niſi diebus Comitialibus haberi poterant: Ergò nec Centuriata. In ſingulis autem Menſibus quidam Comitiales dies fuerunt, quo Anni tempore Magiſtratuum Comitia haberi conſueverunt.* Et paulò pòſt: *Non ſemper idem tempus obſervatum fuit Magiſtratibus creandis.* Eruditisſimus & de Hiſtoria Romana Meritisſimus Joachimus Grellius *in Chronologiâ in T. Livii Hiſtoriam pag. mihi.* 6. ſcribit: *Ut Annum & Menſem, ſic & Diem, quo primi Conſules inierint, diverſi Authores incertum faciunt.* Plutarchus *in Problemat.* primos Conſules Kalendis Januarii iniiſſe tradit: Macrobius verò *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 7. Kalendis Junii, undè & Menſem Junium à Junio Bruto dictum: Alii 6. Kalendarum Martii: Alii Kalendis Quinctilibus, quorum ſententiæ accedere videtur Joachimus Perionius *lib.* 3. *de Magiſtratibus* Roman. qui tamen *loc. cit.* fatetur, nullibi ſe reperire potuiſſe, quis Dies expulſis Regibus, Magiſtratibus ineundis ſolennis fuerit; uti obſervavit etiam Wilhelmus Godelevæus *in obſervation. in T. Livii Hiſtor.*

lib. 3. cap. 6. verbis: *Ut tunc principium Anni agebatur.* Carolus Sigonius 7. Kalendarum Junii: Onuphrius Panuinius 6. Kalendarum Martii: Livius autem *lib. 23. cap. 30. lib. 26. cap. 1. lib. 27. cap. 7. lib. 31. cap. 5. & lib. 40. cap. 35.* Idibus Martiis; *lib. 3. cap. 36.* Idibus Majis; *lib. 3. cap. 6.* Kalendis Sextilibus; *lib. 5. cap. 9.* Idibus Decembribus & Kalendis Octobribus, solennem Magistratibus ineundis Diem fuisse dicit. Undè præassertus Joachimus Grellius *loc. cit. pag. mihi* 7. concludit: *Cùm verò omnis supputandi temporis certitudo ab exacta, firma, stataq; Annorum, Mensium atq; Dierum ratione pendeat, nec quo Anno, Mense vel Die Magistratus inire sint soliti, certè in Historia Liviana reperiatur, vel quando ea ratio mutata sit exprimatur, imò nihil labantius inconstantiusq; usq; ad Annum DXXX. fuerit, quàm solennis ineundo Magistratui Dies, quis miretur dissensionem inter Authores in temporum supputatione esse: Hoc Anni initium ab hoc Mense, illo ab altero inchoante, & uno Magistratus creatos huic Anno adscribente, altero eos ad alium Annum referente?* Et hoc Vir in Historia Romana Sagacissimus ac Eruditissimus Stephanus Vinandus Pighius comprobat *in Annalib. Romanor. lib. 2. in princ. De Consulatu. pag. mihi* 68. disserens: *Incertum autem ab initio ineundi Consulatum tempus fuisse, ex Livio & Dionysio facilè colligimus. Videturq; Senatus ex occasione, & Statu rerum illud aliquando mutasse: nonnunquam Comitiorum dilationes in causa fuisse, ut tardius inirent novi Consules. Itaque apud Livium & alios Kalendæ, vel Idus Martiæ, Majæ, Quinctiles, Sextiles, Septembres, item Octobres, atq; Decembres ineundis Magistratibus solemnes interdum fuisse, reperiuntur.* Et Henricus Glareanus Loritus in *Annotation. ad T. Livii lib. 4. cap. 43. verb.*

Cùm

..9	29	3639	.309	441	M. VALERIUS. P. DECIUS. Die 6. Januarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: M. VALERIUS M. F. M. N. MAXIMUS. P. DECIUS P. F. Q. N. MUS. Conſentiunt his Seth. Calviſius & Chriſtoph. Helvicus.
..9	30	3640	.308	442	C. JUNIUS BUBULCUS III. Q. ÆMILIUS BARBULA II. Die 8. Januarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: C. JUNIUS C. F. C. N. BUBULCUS BRUTUS III. Q. AIMILIUS Q. F. L. N. BARBULA II. Carol. Sigonius, Joach. Grellius, Seth. Calviſius & Chriſt. Helvicus legunt: Q. ÆMILIUS BARBULA II.
..9	33	3641	.307	443	Q. FABIUS. C. MARTIUS RUTILUS. Die 10. Januarii. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: C. MARCIUS RUTILUS. Onuphr. Panuinius legit: Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS II. C. MARCIUS C. F. L. N. RUTILUS. Qui poſteà CENSORINUS appellatus eſt. S. V. Pighius legit: Q. FABIUS M. F. M. N. MAX. RULLIANUS II. Seth. Calviſius legit: C. MARTIUS RUTILIUS CENSORIUS. In cæteris omnes conveniunt.
..9	41	3642	.306	444	Q. FABIUS III. P. DECIUS II. Die 12. Januarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: P. DECIUS P. F. Q. N. MUS II. Q. FABIUS M. F. N. N. MAXMIUS RULLIANUS III. *Notandum*, quod Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius Anno P. R. C. CDXLIV. SINE CONSULIBUS, per ſolum L. PAPIRIUM SP. F. L. N. CURSOREM II. Dictatorem, & C. JUNIUM C. F. C. N.

BUBULCUM BRUTUM II. Magiſtrum Equitum regnatum fuiſſe ſcribant, Conſulesq; Q. FABIUM III. & P. DECIUM II. in annum P. R. C. CDXLV. collocent. Onuphr. Panuinius qualiter contra conſcientiam ſuam hæc ita ſtatuat, ipſemet *in Commentario ſuo in Lib. 1. Faſtor. pag. m.* 124. fatetur ſequentibus verbis: *Hunc quoq; ſine Conſulibus annum, neſcio cur, interponit Verrius Flaccus: in quo L. Papirium Curſorem II. Dictatorem cum C. Junio Bubulco Bruto II Mag. Eq. fuiſſe tradit. Eum annum Diodorus, Livius, Faſti Græci, Liber Cuſpiniani & Caſſiodorus tranſcendunt. Nam Livius ſcribit L. Papirium Curſorem cum C. Junio Bubulco Mag. Eq. Q. Fabio & C. Marcio COS. dictum, quod res non ſatis proſperè à C. Marcio COS. in Samnitibus eſſent geſtæ. Ego quoq; hanc hujus anni interpoſitionem probare coactus ſum, ut annorum Varronis ſumma, quæ Tabulis Capitolinis annum addit, conſtet. Eam enim ſequi in his Faſtorum libris inſtitui. Ceterùm Fabium Pictorem hos quinq; ſine Conſulibus annos nequaquam admiſiſſe crediderim, qui in annalibus Tabularum Capitolinarum ſummæ quinq; annos detraxit.* S. V. Pighius fundamentum ſententiæ ſuæ ponit in Marmore quodam Capitolino, quod hujus tenoris eſt;

L. PAPIRIUS. SP. F. L. N. CURSOR. III. ANN. CDXLIV. DICT. II. DE. SAMNITIBUS. IDIBUS. OCT.

Enimverò, ſi S. V. Pighius Inſcriptionem hanc probè ſaltem inſpexiſſet & examinaſſet, Errorem ſuum ipſemet obſervaſſet. Nam quod L. PAPIRIUS CURSOR II. Dictator exiſtens de Samnitibus triumphaverit, verum eſt; cùm retroſpicientes videamus Eundem anno

					Anno P. R. C. CDXXIX. L. FURIO CAMILLO II. JUNIO BRUTO SCÆVA Consulibus Dictatorem primùm, & Anno P. R. C. CDXLIII. Q. FABIO & C. MARTIO RUTILO Consulibus Dictatorem secundùm fuisse. Atq; sic & anterior error Pighii corrigitur, de quo mentio in Anno P. R. C. CDXXX. Nam, quod si eo anno L. PAPIRIUS CURSOR continuasset Dictaturam sine Consulibus, utiq; eo anno secundò, & præsenti hoc anno tertiò Dictator fuisset, contrà notationem allegati marmoris. Joachim. Grellius, prout sententiam, ita & rationem Onuphr. Panuinii amplectitur, cunctaq; verba ejusdem repetens concludit: *Hanc anni interpositionem Onuphrius probavit, ut annorum Varronis summa, quæ Tabulis Capitolinis annum addit, constet, cujus sententiam & nos sequi voluimus.* Malo autem cum Setho Calvisio & Christoph. Helvico Tit. Livium nostrum sequi, qui *lib.* 9. *cap.* 41. inquit: *Fabio ob egregiè perdomitam Etruriam continuatur Consulatus: Decius collega datur.* Si igitur Consulatus Q. FABIO est continuatus, falsum est Dictatorem L. PAPIRIUM CURSOREM sine Consulibus biennali huic regimini Consulari continuo Q. FABII interfuisse.
..9	42	3643	.305	445	AP. CLAUDIUS. L. VOLUMNIUS. Die 14. Januarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: AP. CLAUDIUS C. F. AP. N CÆCUS. L. VOLUMNIUS C. F. C. N. FLAMMA VIOLENS.
..9	42	3644	.304	446	P. CORNELIUS ARVINA. Q. MARCIUS TREMULUS. Die 16. Januarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. MARCIUS

CIUS Q. F. Q. N. TREMULUS. P. CORNELIUS A. F. P. N. ARVINA.

..9 | 44 | 3645 | .303 | 447 L. POSTUMIUS. T. MINUTIUS. Die 18. Januarii. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: TIB. MINUCIUS. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: L. POSTUMIUS L. F. SP. N. MEGELLUS. TI. MINUCIUS AUGURINUS. In prœlio occis. est. In ejus loc. fact. est M. FULVIUS L. F. L. N. CURVUS PAITINUS. (S. V. Pighius tamen legit: PÆTINUS) Prætereà T. Livius *lib.* 9. *cap.* 44. inquit: *Hos COSS, Piso Q. Fabio & P. Decio suggerit. Biennio exempto, quo Claudium Volumniumq́, & Cornelium cum Marcio COSS. factos tradidimus: Memoriane fugerit in Annalibus digerendis, an consultò binos Consules falsos ratus transcenderit, incertum est.* Et Idem paulò pôst *eod. lib. & cap.* ait: *Minucium COS. cum vulnere gravi relatum in castra mortuum, quidam auctores sunt, & M. Fulvium in locum ejus Consulem suffectum: & ab eo quum ad exercitum Minutii missus esset, Bolam captam.* Apparet hîc solertia T. Livii in perquirendis & examinandis Annalibus Veterum: Apparet pluribus in locis livor vel arrogantia Onuphr. Panuinii & S. V. Pighii adversùs Eundem.

..9 | 45 | 3646 | .302 | 448 P. SULPICIUS AVERRIO. P. SEMPRONIUS SOPHUS. Die 20. Januarii. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: P. SULPICIUS SAVERRIO. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: P. SEMPRONIUS P. F. C. N. SOPHUS. P. SULPICIUS SER. F. P. N. SAVERRIO. Seth. Calvisius legit: P. SULPITIUS SAVERRIO.

LUCI-

.10	.1	3647	.301	449	LUCIUS GENUCIUS. SER. CORNELIUS. Die 22. Januarii. Onuphr. Panuinius legit: SER. CORNELIUS CN. F. CN. N. LENTULUS. L. GENUCIUS L. F. M. N. AVENTINENSIS. S. V. Pighius legit: L. GENUCIUS L. F. L. N. AVENTINENSIS.
.10	.1	3648	.300	450	M. LIVIUS DENTER. ÆMILIUS. Die 24. Januarii. Onuphr. Panuinius legit: M. LIVIUS M. F. C. N. DENTER. M. AIMILIUS L. F. L. PAULLUS. S. V. Pighius legit: M. LIVIUS //. F. C. N. DENTER. M. ÆMILIUS L. F. L. N. PAULLUS. Seth. Calvisius legit: M. AIMILIUS PAULUS.
.10	.5	3649	.299	451	M. VALERIUS. APULEJUS PANSA. Die 26. Januarii. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: APPULEJUS PANSA. Onuphr. Panuinius legit: Q. APPULEJUS ::::. F. C. N. PANSA. M. VALERIUS M. F. M. N. CORVUS V. S. V. Pighius legit: Q. APPULEJUS CN. F. C. N. PANSA. De cætero proût Onuphrius Panuinius. *Notandum* hîc autem, quod Onuphr. Panuinius Anno P. R. C. CDLIII. & S. V. Pighius Anno P. R. C. CDLII. inter M. LIVIUM DENTREM & M. ÆMILIUM PAULUM COSS. ac Q. APPULEJUM PANSAM & M. VALERIUM CORVUM V. COSS. duos Dictatores sine Consulibus, videlicet Q. FABIUM M. F. N. N. MAXIMUM RULLIANUM II. Dict. M. ÆMILIUM L. F. L. N. PAULLUM Mag. Eq. atq; M. VALERIUM M. F. M. N. CORVUM II. Dict. P. SEMPRONIUM P. F. C. N. SOPHUM Mag. Eq. interponant. Rationem Onuphr. Panuinius eandem habet, quam suprà in Anno Mundi

3642. Antè C. N. 306. Ab U. C. 444. scilicet, ut Computatio ejus cum Summa Annorum Varronis conveniat, hoc est, ut socium se erroris Varroni jungat. Verba Onuphrii Panuinii *in Commentar. in lib. 1. Fastor. pag. mihi* 125. hæc sunt: *Et hunc annum quoq; duorum Dictatorum sine Consulibus, meis Fastis ex Capitolinorum tamen fragmentorum auctoritate cogor interponere, ut Varronis annorum summa omninò conveniat, quæ hoc prætertito tota laberetur: quamvis Diodorus, Livius, & Cassiodorus dissentiant, annumq; hunc omninò prætereant.* Atq; hujus Onuphrii Panuinii sententiam, rationem & ipsa verba repetit ac sequitur etiam Joachim. Grellius *in Chronologia in T. Livii Historiam in Ann.* P. R. C. CDLIII. Steph. Vinandus Pighius opinionem suam fundat in fragmento Triumphi Valeriani, & loco quodam allegato ex Cicerone. Lubricum, subleſtum ac vanum utrumq; est argumentum. Pro primo Argumento dictus S. V. Pighius talia habet verba: *Hoc Anno per Dictatores duos sine Consulibus Rempublicam administratam esse, docet unum ex minutissimis Fastorum* Capitolinorum *fragmentis. Quod nisi bona quadam fortuna, & Antiquitatis Studiosorum diligentia ex tantis Urbis Romæ cladibus ac ruinis erutum conservatumq; fuisset: nescio quis semet ex tàm inextricabili historiarum ejus temporis labyrintho potuisset explicare, cùm Livius ipse, si dicere fas est, non potuerit. Quem si Fastis Capitolinis, aliorumq; antiquorum quorundam scriptis prorsus conciliare velis, sanè admodùm difficile hoc tibi fore invenies. Nam sibimet constare distractus annalium diversitate non videtur; nisi mutilum, ubi hujus anni historiam tractat, ùt pluribus locis est,*

velimus dicere. Secundi argumenti loco ita differit: *Neq; etiam Ciceronis in Catone Majore locus commodè potuisset intelligi de Ap. Claudio Cæco loquentis, qui Pyrrhi Regis amicitiam oblatam gravissima oratione dissuasit. Atq; hæc (inquit) ille egit septem & decem annis post alterum Consulatum, cùm inter duos Consulatus anni decem interfuisſent, Censorq; antè Consulatum superiorem fuisset. Nisi igitur hunc annum à Livio, & aliis omissum, suo loco restituas, inter duos Ap. Cæci Consulatus novennium solummodò interpositum reperies.* Sed primum Argumentum fide minutissimi fragmenti cujusdam Capitolini nixum facilè enervat series Historiæ integræ T. Livii *lib.* 10. *cap.* 3. his verbis: *Eodem anno* (videlicet M. LIVIO DENTRE & M. ÆMILIO PAULO COSS. Liv. *lib.* 10. *cap.* 1.) *Romæ cum Vestinis petentibus amicitiam ictum est fœdus. Multiplex deindè exortus terror. Etruriam rebellare ab Aretinorum seditionibus motu orto nunciabatur: ubi Licinium* (in Editione J. F. Gronovii legitur: Cilnium) *genus præpotens, divitiarum invidia pelli armis cœptum. simul Marsos agrum vi tueri: in quem colonia Carseoli deducta erat, quatuor millibus hominum scriptis. Itaq; propter eos tumultus, dictus M. Valerius Maximus Dictator, Magistrum Equitum sibi legit M. Æmilium Paulum. Id magis credo, quàm Q. Fabium ea ætate, atq; eis honoribus Valerio subjectum. ceterùm ex Maximi cognomine ortum errorem haud abnuerim.* Et haud longè pòst idem Livius *lib.* 10. *cap.* 5. ait: *Hoc prælio fractæ iterùm Etruscorum vires: & pacto annuo stipendio, & duûm mensium frumento, permissum ab Dictatore, ut de pace legatos mitterent Romam. Pax negata; induciæ biennii datæ. Dictator triumphans*

phans in Urbem rediit. Habeo auctores, sine ullo memorabili prælio pacatam ab Dictatore Etruriam esse; seditionibus tantùm Aretinorum compositis, & Licinio (*in Editione* J. F. Gronovii legitur: *Cilnio*) *genere cum plebe in gratiam reducto. Consul ex Dictatura factus* M. *Valerius non petentem, atq; adeò etiam absentem creatum credidere quidam: & per Interregem ea comitia facta. Id unum non ambigitur, Consulatum cum Apulejo Pansa gessisse.* Ex his patet, T. Livium magno studio Historiam suam conscripsisse, Auctorumq; sententias diversas contulisse, vrioremque secutum fuisse; ac proindè plus fidei eum, quàm Fragmentum aliquod ab homine quodam obscuro vel ingenio Cretensi erutum, meruisse. Si enim eodem anno, videlicet M. LIVIO DENTRE & M. ÆMILIO PAULO COSS. Etrusci rebellarunt; ob tumultus eorum M. VALERIUS MAXIMUS Dictator dictus; hic idem eos debellavit; & de iis triumphavit; atque ex Dictatura illicò Consul factus est; absurdum est dictum M. VALERIUM, multò minùs Q. FABIUM MAXIMUM RULLIANUM Dictatores sine Consulibus fuisse. Tùm & Fragmentum Capitolinum, quod tale est:

M. VALERIUS. M. F. M. N. Corvus. ann. CDLII.
IV. DICT. II. de Etrusceis.
X. K. Decembris.

nil virium habet ad confutandum Livium, cùm hic similiter affirmet M. VALERIUM CORVUM tempore hujus Triumphi de Etruscis II. Dictatorem fuisse; nam Anno Mundi 3611. Antè C. N. 337. Ab U. C. 413. C. MAR-

MARCIO RUTILO IV. & Q. SERVILIO AHALA COSS. prima vice Dictator fuit. Liv. *lib. 7. cap. 39. 40. 41. & 42.* Tùm & Livius *cit. lib. 10. cap. 5.* notabiliter dixit: M. VALERIUM CORVUM V. *non petentem, atq; adeò etiam absentem creatum Consulem.* Ac denuò *eod. loco* inquit: M. VALERIUS CORVUS *Dictator triumphans in Urbem rediit.* Ergò M. VALERIUS CORVUS jam creatus Consul in Urbem rediens ex Dictatura triumphavit, & quidem eâ, quam prioris anni Consulibus gessit. Atque tandem si Fragmenti Capitolini scrupulus de anno Triumphi habiti nominato CDLII. superesse deberet, juxtà *Fastos Livianos*, quibus S. V. Pighius Anno Mundi 3642. Antè C. N. 306. Ab U. C. 444. L. Papirium Cursorem Dictatorem sine Consulibus interponere satagit, Annus hic M. VALERII CORVI V. Consulis & ex Dictatura Triumphantis, ut dictum, foret Annus P. R. C. CDLIII. Et sic contrà proprium Calculum S. V. Pighius Fragmentum hoc Capitolinum allegasset, & proprio se gladio jugulasset. Alterum Argumentum ex loco Ciceronis allegato sumptum refutat ipsa Numeratio Annorum juxtà Calculum Livianum. *Primus* enim *Consulatus* AP. CLAUDII CÆCI exstat Anno Mundi 3643. Antè C. N. 305. Ab U. C. 445. *Secundus* ejusdem *Consulatus* Anno Mundi 3653. Antè C. N. 295. Ab U. C. 455. Sunt igitur inter Primum & Secundum AP. CLAUDII CÆCI CONSULATUS non novem, sed DECEM ANNI, ùti Cicero, & ipse S. V. Pighius desiderant. Evanescunt sic igitur somnia Onuphrii Panuinii & S. V.

 Pighii,

					Pighii, ſtatque ſententia Liviana firma Annum hunc P. R. C. CDLI. vacuum Conſulibus non fuiſſe, ſed M. VALERIUM CORVUM V. & Q. APPULEJUM PANSAM COSS. eodem Anno regnaſſe.
.10	.9	3650	.298	452	M. FULVIUS PÆTUS. T. MANLIUS TORQUATUS. Die 28. Januarii. Onuphr. Panuinius legit: M. FULVIUS CN. F. CN. N. PAITINUS. T. MANLIUS T. F. T. N. TORQUATUS. In Magiſtr. Mort. Eſt. In. Ejus Loc. Fact. Eſt. M. VALERIUS M. F. M. N. CORVUS VI. S. V. Pighius, Seth. Calviſius & Chriſtoph. Helvicus legunt: M. FULVIUS CN. F. CN. N. PÆTINUS. Joach. Grellius & Car. Sigonius legunt: M. FULVIUS PÆTUS.
.10	11	3651	.297	453	L. CORNELIUS SCIPIO. CN. FULVIUS. Die 30. Januarii. Onuphr. Panuinius legit: L. CORNELIUS CN. F. SCIPIO. CN. FULVIUS CN. F. CN. N. MAXIMUS CENTUMALUS. S. V. Pighius legit: L. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO.
.10	13	3652	.296	454	Q. FABIUS MAXIMUS IV. P. DECIUS MUS III. Die 1. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS IV. P. DECIUS P. F. Q. N. MUS III.
.10	15	3653	.295	455	L. VOLUMNIUS. AP. CLAUDIUS. Die 3. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: AP. CLAUDIUS C. F. AP. N. CÆCUS II. L. VOLUMNIUS C. F. C. N. FLAMMA VIOLENS II.
.10	22	3654	.294	456	Q. FABIUS. P. DECIUS. Die 5. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FABIUS M. F. N. N. MAXIMUS RULLIANUS

LIANUS V. P. DECIUS P. F. Q. N. MUS IV. Qui. In. Hoc. Mag. Se. Devovit.

.10 | 32 | 3655 | .293 | 457 L. POSTUMIUS MEGILLUS. M. ATTILIUS REGULUS. Die 7. Februarii. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: L. POSTUMIUS MEGELLUS. Onuph. Panuinius legit: L. POSTUMIUS L. F. SP. N. MEGELLUS II. M. ATILIUS (Ita quoque legunt Carol. Sigonius & Joachim. Grellius: Sed S. V. Pighius, Seth. Calvisius & Christoph. Helvicus legunt: M. ATTILIUS) M. F. M. N. REGULUS. Seth. Calvisius *In Chronologia hujus Anni* inquit: *Livius ad hosce usq; Consules numerat annos belli Samnitici quadraginta sex. Cœpit autem id bellum anno Mundi* 3611. *Ergò hic annus ejus belli est quadragesimus sextus.* Nimium verò Calvisius (quod cum pace Tanti Viri dicam) genio suo indulget. Si enim diligenter Chronologiam Livii repeto, ipso Anno Mundi 3610. M. VALERIO, A. CORNELIO Consulibus, qui primi Samnio arma intulerunt, ùt Liv. *lib.* 10. *cap.* 31. ait, bellum Samniticum susceptum, ùt Idem testatur *lib.* 7. *cap.* 29. & Fasti Capitolini *Anno ab U. C. CDX.* apud S. V. Pighium *in Annal. Roman. Tom.* 2. *pag. mihi VIII.* Explet igitur annus hic Annum Quadragesimum Sextum Belli hujus, Terminusque est; aliàs septem & Quadraginta Annos flagrasse hoc bellum contra mentem Historici asserendum esset. Ortus verò Error Clarissimi Calvisii, quod sæpiùs, vix non dicam ubique, Historiam ad præcedentis anni Consules pertinentem, ad sequentis anni retulerit, atque sic etiam hoc ipso loco. Pugnat pro

mea

mea etiam sententia Stadius *in notis ad Flori lib. 1. cap. 16. verb. Annis. pag. mihi 75.* At, Errorem Error excipit, dùm Calvisius semet ipsum prodit, scribens: *Annus Mundi* (eidem) 3650. *Antè C. N.* 298. *est Annus Ab Urbe Condita numeratus* 453. *COSS.* Q. APPULEJUS PANSA, & M. VALERIUS CORVUS V. Ab his usquè ad Annum præsentem exclusivè numerat adhuc quinque Annos, & tot paria Consulum; ex quo sequitur Annum hunc eidem P. R. C. non Quadragesimum sextum, sed Quadragesimum Nonum esse; & tamen Livii Computationem hic approbat, & sic semet ipsum refutat. Similiter approbatur hoc Anno etiam Calculus meus Livianus, Errorq; Onuphrii Panuinii & S. V. Pighii manifestior redditur, dùm illi inter Consulatum M. VALERII & A. CORNELII, quibus bellum Samniticum initium cepit, & præsentis hujus anni Consules, videlicet Anno Mundi 3627. Antè C. N. 321. Ab U. C. 429. L. PAPIRIUM SP. F. L. N. CURSOREM DICTATOREM; & Anno Mundi 3642. Antè C. N. 306. Ab U. C. 444. L. PAPIRIUM SP. F. L. N. CURSOREM II. DICTATOREM; & Anno Mundi 3650. Antè C. N. 300. Ab U. C. 452. (secundùm S. V. Pighium) Duos Dictatores Q. FABIUM M. F. N. N. MAXIMUM RULLIANUM II. & Successorem ejus M. VALERIUM M. F. M. N. CORVUM II; atquè sic tres annos, tresquè Dictatores sine Consulibus interponunt, numerumque Annorum adaugent; ex quo Annus hic à bello Samnitico inchoato non Quadragesimus Sextus, sed Quadragesimus Nonus existeret; Quod Falsum. L. PA-

.10	38	3656	.292	458	L. PAPIRIUS CURSOR. SP. CARVILIUS. Die 9. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: L. PAPIRIUS L. F. SP. N. CURSOR. SP. CARVILIUS C. F. C. N. MAXIMUS.
.10	47	3657	.291	459	Q. FABIUS MAXIMUS GURGES. D. JUNIUS BRUTUS SCÆVA. Die 11. Februarii, S. V. Pighius legit: Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES. D. JUNIUS D. F. BRUTUS SCÆVA. Et huic consentiunt Carolus Sigonius & Christ. Helvicus. At, Onuphr. Panuinius & Seth. Calvisius legunt: D. JUNIUS D. F. BRUTUS SÆVA. Joach. Grellius legit: Q. FABIUS GURGES MAXIMUS. DECIUS JUNIUS BRUTUS SCÆVALINI F.

HISCE cum CONSULIBUS DESINIT HISTORIA T. LIVII, & sola EXSTAT EPITOME L. ANNÆI FLORI, usq; ad P. CORNELIUM SCIPIONEM, & TIB. SEMPRONIUM LONGUM CONSULES, hoc est Annum Mundi 3731. Antè C. N. 217. Ab U. C. 533. exclusivè. Onuphrius Panuinius *in Commentario in Lib. 1. Fastor. Annum Ab U. C.* (juxtà ejus Calculum) *CDLXIII.* interitum Decadis secundæ Historiæ T. Livii ita plangit: *Quùm hoc loco Decem Libri Historiæ Livianæ desiderentur, quo præcipuo Auctore per hæc tempora, in quibus Tabulæ desunt Capitolinæ, hos Fastos concinnaveram, atq; ceterorum Scriptorum præsidiis destitutus sim, solusq; cum Fastis Græcis, & libro Cuspiniani supersit Cassiodorus, iis inprimis Auctoribus utar in Consulibus digerendis, & si quid aliundè interim adjumenti invenero, id in medium afferam.* Joachimus Grellius Panuinium iisdem

 ferè

ferè ſuſpiriis verbisq; comitatur *in Chronologia in T. Livii Hiſtoriam.* Et S. V. Pighius *in Annal. Roman. Tom. I. lib. 5. Anno P. R. C. CDLXII.* dolorem quoq; ſuum conteſtatur his verbis : *Poſthac aliquandiu Livianæ Hiſtoriæ adminiculo deſtituimur, cui vaſtam hic fecit lacunam injuria temporum. Qua de cauſſa Livianorum librorum argumentis, quæ ex opere adhuc integro olim collecta fuerunt, deinceps pro ipſis libris, usq; ad XXI. adducere, atq; ex iisdem & Polybio,* Jo. *Zopara, Oroſio, Eutropio, Caſſiodoro, aliisq; auctoribus, qui ſparſim iſtorum temporum hiſtoriam attingunt, ſupplere quantum licet cogimur. Ex quibus acta omnia ſuis annis, quæ ad rem facere videbuntur, adferemus.* Cùm autem citati Chronologi omnes, & cum iis Sethus Calviſius ac Joannes Freinshemius in Supplementis Livianis ex partibus diverſorum Hiſtoricorum Chronologias ſuas conſarcinare & continuare plurimùm inſudaverint, operam eorum ſummoperè laudans ſectabor, Numerumq; Librorum Epitomes Hiſtoriæ Titi Livii ſaltem connotabo, & quibus Nominibus aut Cognominibus Conſulum variaverint, mactè indicabo.

Epitome Libri					
.11.	.	3658.	290	460	L. POSTUMIUS MEGELLUS III. C. JUNIUS BRUTUS BUBULCUS. Die 13. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: L. POSTUMIUS L. F. SP. N. MEGELLUS III. C. JUNIUS C. F. C. N. BRUTUS BUBULCUS.
.11.	.	3659.	289	461	P. CORNELIUS RUFINUS. MAN. CURIUS DENTATUS. Die 15. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: P. CORNELIUS P. F. RUFINUS. M'. CURIUS M. F. M. N. DENTATUS. Sethus Calviſius

in

in Opere ſuo Chronolog. in A. M. 3660. *Antè C. N.* 288. inquit: *Duravit bellum* (adverſus Samnites) *annos quinquaginta. Florus habet quadraginta novem, ut & Livius.* Sed T. Livii Hiſtoria de hujus Anni Conſulibus periit; ubi igitur ſimilia in eo Seth. Calviſius legit? L. Annæum Florum idem Calviſius obliquo lumine inſpexit, cùm hic (veluti Epitomator T. Livii; Teſte Thoma Dempſtero *in paralipom. ad* Joannis *Roſini Antiquitat. Roman. lib.* 5. *cap.* 31. *pag. mihi* 554.) *lib.* 1. *cap.* 16. ita ſcribat: *Hos* (nempe Samnites Populus Romanus) *tamen Quinquaginta annis per Fabios & Papirios Patres, eorumq; liberos, ita ſubegit, ac domuit, ita ruinas ipſas urbium diruit, ut hodiè Samnium in ipſo Samnio requiratur: nec facilè appareat materia quatuor & viginti triumphorum.*

.11.	.	3660	.288	462	M. VALERIUS M. F. CORVINUS. Q. CÆDITIUS NOCTUA. Die 17. Februarii. Onuphr. Panuinius legit: M. VALERIUS M. F. M. N. CORVINUS. Q. CÆDICIUS Q. F. NOCTUA. S. V. Pighius legit: M. VALERIUS F. M. N. MAX. CORVINUS.
.11.	.	3661	.287	463	Q. MARTIUS TREMULUS II. P. CORNELIUS ARVINA. Die 19. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. MARCIUS Q. F. Q. N. TREMULUS II. P. CORNELIUS A. F. P. N. ARVINA II.
.11.	.	3662	.286	464	M. CLAUDIUS MARCELLUS. C. NAUTIUS RUTILUS. Die 21. Februarii. S. V. Pighius legit: M. CLAUDIUS MARCELLUS. C. NAUTIUS SP. F. SP. N. RUTILUS. Onuphr. Panuinius legit: M. CLAUDIUS M. F. MARCELLUS. Carol. Sigonius &

					& Joach. Grellius legunt: M. MARCELLUS. SP. NAUTIUS.
.II.	. .	3663.	285	465	M. VALERIUS POTITUS MAXIMUS. C. ÆLIUS PÆTUS. Die 23. Februarii. Onuphr. Panuinius legit: M. VALERIUS MAXIMUS POTITUS. C. AILIUS PAITUS. S. V. Pighius legit: C. ÆLIUS P. F. P. N. PÆTUS.
.II.	. .	3664.	284	466	C. CLAUDIUS CANINA. M. ÆMILIUS LEPIDUS. Die 25. Februarii. Onuphr. Panuinius legit: C. CLAUDIUS ::. F. C. N. CANINA. M. AIMILIUS (S. V. Pighius legit: ÆMILIUS) LEPIDUS.
.II.	. .	3665.	283	467	C. SERVILIUS GEMINUS TUCCA. L. CÆCILIUS METELLUS. Die 27. Februarii. S. V. Pighius legit: C. SERVILIUS TUCCA. L. CÆCILIUS. C. F. METELLUS. Onuphr. Panuinius legit: C. SERVILIUS GEMINUS TUCCA. L. CÆCILIUS C. F. METELL. In. Pr. Occ. In. E. L. F. E. M'. CURIUS M'. F. M'. N. DENTATUS II. Similiter & Seth. Calvisius *in Chronol. hujus anni* inquit: *Man. Curium Dentatum II. Consulem in locum L. Cæcilii COS. opem Aretinis ferentis & ab hostibus Gallis Senonibus oppressi, electum.* Sed S. V. Pighius sub Anni immediatè sequentis Consulibus P. CORNELIO DOLABELLA & CN. DOMITIO CALVINO acta ista commemorat hisce verbis: *Prætor* L. CÆCILIUS C. F. METELLUS. *Cum imperio extrà ordinem missus contrà Gallos & Etruscos in prœlio occisus est. In ejus locum factus est* M'. CURIUS. M'. F. M'. N. DENTATUS. Et idem illud scribit Joannes Freinshemius (in Numeratione annorum & Narra-

Narratione Historiarum S. V. Pighii fidelis imitator) *Supplement. Livianor. lib. 2. in locum lib. XII. Liviani pag. mihi 37.* Et Epitomator Historiarum T. Livii *lib.* 12. confirmat id verbis sequentibus: *Quum Legati Romanorum à Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius Prætor cum legionibus ab iis cæsus est.*

.12 . . 3666 . 282 468 P. CORNELIUS DOLABELLA. CN. DOMITIUS CALVINUS. Die prima Martii Juliani. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: P. CORNELIUS DOLABELLA MAXIMUS. CN. DOMITIUS CN. F. CALVINUS.

.12 . . 3667 . 281 469 C. FABRICIUS LUSCINUS. Q. AIMILIUS PAPUS. Die 3. Martii. Onuphr. Panuinius legit: C. FABRICIUS C. F. C. N. LUSCINUS. Q. AIMILIUS CN. F. PAPUS. S. V. Pighius legit: Q. ÆMILIUS M. F. PAPUS. Christoph. Helvicus legit: Q. ÆM. PAPPUS.

.12 . . 3668 . 280 470 L. ÆMILIUS BARBULA. L. MARTIUS PHILIPPUS. Die 5. Martii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: L. ÆMILIUS (solus tamen Panuinius legit: AIMILIUS) Q. F. Q. N. BARBULA. Q. MARCIUS Q. F. Q. N. PHILIPPUS.

.13 . . 3669 . 279 471 P. VALERIUS LEVINUS. T. CORUNCANUS. Die 7. Martii. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: VALERIUS LÆVINUS. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: TI. CORUNCANIUS TI. F. TI. NEPOS. Christoph. Helvicus legit: P. VAL. LEVIN. T. CORUN. NEPOS.

.13	. .	3670	.278	472	P. SULPITIUS SAVERRIO. P. DECIUS MUS. Die 9. Martii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: P. SULPICIUS P. F. SER. N. SAVERRIO. P. DECIUS P. F. P. N. MUS. In. Prœlio. Occis. Est.
.13	. .	3671	.277	473	C. FABRICIUS LUSCINUS II. Q. ÆMILIUS PAPUS II. Die 11. Martii. Onuphr. Panuinius legit: C. FABRICIUS C. F. C. N. LUSCINUS II. Q. AIMILIUS CN. F. PAPUS II. S. V. Pighius legit: Q. ÆMILIUS M. F. PAPUS II.
.13	. .	3672	.276	474	P. CORNELIUS RUFINUS II. C. JUNIUS BRUTUS BUBULCUS II. Die 13. Martii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: P. CORNELIUS P. F. RUFINUS II. C. JUNIUS C. F. C. N. BRUTUS BUBULCUS II.
.14	. .	3673	.275	475	Q. FABIUS MAXIMUS GURGES II. C. GENUCIUS CLEPSINA. Die 15. Martii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES II.
.14	. .	3674	.274	476	M'. CURIUS DENTATUS II. (Secundùm Lectionem Joan. Freinshemii *Supplement. Livian. lib. 4. in locum lib. XIV. Liviani pag. mihi* 158. & S. V. Pighium illius Auctorem) L. CORNELIUS LENTULUS. Die 17. Martii. Onuphr. Panuinius legit: M'. CURIUS M'. F. M'. N. DENTATUS III. L. CORNELIUS TI. F. SER. N. LENTULUS. M'. CURII DENTATI Consulatum hunc TERTIUM asserunt quoque Joachim. Grellius, Seth. Calvisius & Christophor. Helvicus. At, dissensus hic ortus est ex præsupposita Onuphrii Panuinii & Sethi Calvisii suc-

					ſucceſsione M'. CURII DENTATI in locum L. CÆCILII CONSULIS in prœlio occiſi à Gallis Senonibus; Cui contradicunt S. V. Pighius & Joan. Freinshemius; uti *Annotavi* in Anno Mundi 3665. Antè C. N. 283. Ab. U. C. 467.
.14.	.	3675	.273	477	MAN. CURIUS DENTATUS III. SER. CORNELIUS MERENDA. Die 19. Martii. De Numero Conſulatuum M'. CURII DENTATI Vide *Annotata* ad Annum proximè præcedentem; & prætereà Joan. Freinshemium *loc. cit. pag. mihi* 170.
.14.	.	3676	.272	478	C. FABIUS DORSO LICINUS. C. CLAUDIUS CANINA II. Die 21. Martii. Ita Seth. Calviſius. At Onuphr. Panuinius legit: C. FABIUS M. F. DORSO LICINUS III. C. CLAUDIUS :: F. C. N. CANINA II. S. V. Pighius legit: C. FABIUS M. F. M. N. DORSO LICINUS. Onuphrium Panuinium autem fefellit varia lectio Auctorum. Nam Caſsiodorus eos nominat C. FABIUM, & C. CLAUDIUM: Vellejus FABIUM DORSONEM, & CLAUDIUM CANINAM: Eutropius C. FABRICIUM LUSCINUM, & C. CLAUDIUM CANINAM: Faſti Græci & Liber Cuſpiniani LUSCINUM & CANINAM: Marianus Scotus C. FABRICIUM, C. CLAUDIUM. Hinc fortè Onuphr. Panuinius opinatus eſt Conſulem hunc C. FABIUM LICINUM, eſſe C. FABRICIUM LUSCINUM Anno Mundi 3667. Antè C. N. 281. Ab U. C. 469. *primùm*, & Anno Mundi 3671. Antè C. N. 277. Ab U. C. 473. *ſecundùm Conſulem* exiſtentem; & hoc ex ſimilitudine nominum FABRICII & FABII, item cognominum LUSCINI & LICINI; cùm

					cùm id in FABIA GENTE etiam fuerit; ùti videre est infrà in Anno Mundi 3703. Antè C. N. 245. Ab U. C. 505. Et hoc verisimilius, quàm quod dictus Onuphr. Panuinius *in Commentar, in lib.* 1. *Fastor, Annum ipsi CDXXCI,* suprà nominatos Auctores conciliandi causa scribit: C. FABIUM *in Magistratu mortuum fuisse existimavi, eiq;* C. FABRICIUM *suffectum.*
.14.	.	3677	.271	479	L. PAPIRIUS CURSOR II. SP. CARVILIUS MAXIMUS II. Die 23. Martii, Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt : L. PAPIRIUS L. F. SP. N. CURSOR II. SP. CARVILIUS C. F. C. N. MAXIMUS II.
.15.	.	3678	.270	480	C. QUINTIUS CLAUDIUS. L. GENUTIUS CLEPSINA. Die 25. Martii, Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt : C. QUINCTIUS CLAUDUS. L. GENUCIUS CLEPSINA. Christoph. Helvicus legit : C. Q. GULO CL.
.15.	.	3679	.269	481	C. GENUTIUS CLEPSINA II. CN. CORNELIUS BLASIO. Die 27. Martii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt : C. GENUCIUS CLEPSINA II. CN. CORNELIUS L. F. CN. N. BLASIO.
.15.	.	3680	.268	482	Q. OCULNIUS GALLUS. C. FABIUS PICTOR. Die 29. Martii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt : Q. OGULNIUS L. F. A. N. GALLUS. C. FABIUS C. F. M. N. PICTOR. Joachim. Grellius legit: Q. OGULPHIUS. FABIUS PICTOR. Christoph. Helvicus legit: Q. FAB. MA. PICT. Q. OGU. GAL. Carol. Sigonius hos duos Consules omisit.

P. SEM-

.15	. .	3681	.267	483	P. SEMPRONIUS SOPHUS. AP. CLAUDIUS CRASSINUS. Die 31. Martii. Onuphr. Panuinius legit: P. SEMPRONIUS P. F. P. N. SOPHUS. AP. CLAUDIUS. AP. F. C. N. CRASSINUS RUFUS. S. V. Pighius & Christoph. Helvicus legunt: AP. CLAUDIUS AP. F. C. N. CRASSUS. Joan. Freinshemius legit: APPIUS CLAUDIUS COECI F. CRASSUS.
.15	. .	3682	.266	484	M. ATTILIUS REGULUS. L. JULIUS LIBO. Die 2. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius, Carol. Sigonius & Joan. Freinshemius legunt: M. ATILIUS M. F. L. N. REGULUS. L. JULIUS L. F. L. N. LIBO. Christ. Helvicus legit: A. ATILI. REGUL.
.15	. .	3683	.265	485	D. JUNIUS PERA. NUMERIUS FABIUS PICTOR. Die 4. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: N. FABIUS C. F. M. N. PICTOR. D. JUNIUS D. F. D. N. PERA.
.15	. .	3684	.264	486	Q. FABIUS MAXIMUS GURGES III. L. MAMILIUS VITULUS. Die 6. Aprilis. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FABIUS Q. F. M. N. MAXIMUS GURGES III. L. MAMILIUS Q. F. M. N. VITULUS. Carol. Sigonius duos hos Consules omisit.
.16	. .	3685	.263	487	APP. CLAUDIUS CAUDEX. M. FULVIUS FLACCUS. Die 8. Aprilis. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: AP. CLAUDIUS C. F. AP. N. CAUDEX. M. FULVIUS Q. F. M. N. FLACCUS.
.16	. .	3686	.262	488	M. VALERIUS MAXIMUS. MAN. OCTACILIUS CRASSUS. Die 10. Aprilis. Onuphr: Panuinius & Joan. Freinshemius legunt.

					M'. VALERIUS M. F. M. N. MAXIMUS. Qui In Hoc Honore MESSALA (S. V. Pighius legit: MESSALLA) Appell. Eſt. M'. OCTACILIUS (S. V. Pighius legit: OTACILIUS) C. F. M'. N. CRASSUS. Carol. Sigonius & Joachim. Grellius legunt: M. OTACILIUS.
16		3687	261	489	L. POSTUMIUS MEGELLUS. Q. MAMILIUS VITULUS. Die 12. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. POSTUMIUS (Joan. Freinshemius & Chriſt. Helvicus legunt: L. POSTHUMIUS) L. F. L. N. MEGELLUS. Q. MAMILIUS Q. F. M. N. VITULUS.
16		3688	260	490	L. VALERIUS FLACCUS. T. OTACILIUS CRASSUS. Die 14. Aprilis. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: L. VALERIUS M. F. L. N. FLACCUS. T. OTACILIUS C. F. M'. N. CRASSUS. Joan. Freinshemius legit: L. VALERIUS M. F. M. N. FLACCUS.
17		3689	259	491	CN. CORNELIUS SCIPIO ASINA. C. DUILLIUS NEPOS. Die 16. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: CN. CORNELIUS L. F. CN. N. SCIPIO ASINA. C. DUILIUS M. F. M. N. Chriſt. Helvicus legit: C. DUIL. NEP.
17		3690	258	492	L. CORNELIUS SCIPIO. C. AQUILIUS FLORUS. Die 18. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. CORNELIUS L. F. CN. N. SCIPIO. C. AQUILLIUS (Joan. Freinshemius & Joach. Grellius legunt: C. AQUILIUS) M. F. C. N. FLORUS.

A. ATI-

.17 | . . | 3691 | .257 | 493 | A. ATILIUS CALATINUS. Q. SULPITIUS PATERCULUS. Die 20. Aprilis. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: A. ATILIUS A. F. C. N. CALATINUS. Q. (Similiter legunt Carolus Sigonius & Joach. Grellius) SULPICIUS Q. F. Q. N. PATERCULUS. Christoph. Helvicus & Joan. Freinshemius legunt: C. SULPICIUS &c.

.17 | . . | 3692 | .256 | 494 | C. ATILIUS REGULUS. CN. CORNELIUS BLASIO II. Die 22. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. ATILIUS M. F. M. N. REGULUS. (Solus S. V. Pighius Cognomen alterum adhuc addit: SERRANUS) CN. CORNELIUS L. F. CN. N. BLASIO II. Christoph. Helvicus legit: M. ATIL. REG.

.18 | . . | 3693 | .255 | 495 | L. MANLIUS VULSO LONGUS. Q. CÆDITIUS. Die 24. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. MANLIUS A. F. P. N. VULSO (Joan. Freinshemius legit: VULGO) LONGUS. Q. CÆDICIUS Q. F. Q. N. In. Mag. Mort. E. In. Ejus. Locum. Factus. Est. M. ATILIUS M. F. L. N. REGULUS II. Carolus Sigonius tacet M. ATILIUM REGULUM. Et Christ. Helvicus tacet Q. CÆDITIUM.

.18 | . . | 3694 | .254 | 496 | SER. FULVIUS NOBILIOR. M. AIMILIUS PAULUS. Die 26. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: SER. FULVIUS M. F. M. N. PÆTINUS NOBILIOR. M. AIMILIUS M. F. L. N. PAULLUS. Carol. Sigonius & Christ. Helvicus legunt: M. ÆMILIUS PAULLUS. Joach. Grellius legit: M. ÆMYLIUS PAULUS.

.18	. .	3695	.253	497	CN. CORNELIUS SCIPIO ASINA II. A. ATILIUS CALATINUS II. Die 28. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: CN. CORNELIUS L. F. C. (Onuphr. Panuinius legit: CN.) N. SCIPIO ASINA II. A. ATILIUS A. F. C. N. CALATINUS II.
.18	. .	3696	.252	498	CN. SERVILIUS CÆPIO. C. SEMPRONIUS BLÆSUS. Die 30. Aprilis. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: CN. SERVILIUS CN. F. CN. N. CÆPIO. C. SEMPRONIUS TI. F. TI. N. BLÆSUS. Chriſtoph. Helvicus legit: C. CORN. CÆPIO.
.18	. .	3697	.251	499	C. AURELIUS COTTA. P. SERVILIUS GEMINUS. Die 2. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. AURELIUS L. F. C. N. COTTA. P. SERVILIUS Q. (Solus Joan. Freinshemius legit: C.) F. CN. N. GEMINUS.
.18	. .	3698	.250	500	L. CÆCILIUS METELLUS. C. FURIUS PACILUS. Die 4. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. CÆCILIUS L. F. C. N. METELLUS. C. FURIUS C. F. C. N. PACILUS. Chriſtoph. Helvicus legit: C. FUR. PACILIUS.
.18	. .	3699	.249	501	C. ATILIUS REGULUS II. L. MANLIUS VULGO LONGUS II. Die 6. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. ATILIUS M. F. M. N. REGULUS II. L. MANLIUS, A. F. P. N. VULSO II. Chriſtoph. Helvicus legit: L. MANL. VOLSO.
.19	. .	3700	.248	502	P. CLAUDIUS PULCER. L. JUNIUS PULLUS. Die 8. Maji. Onuphr. Panuinius &

					S. V. Pighius legunt: P. CLAUDIUS AP. F. C. N. PULCHER. L. JUNIUS C. F. L. N. PULLUS. Joan. Freinshemius legit: P. CLODIUS AP. F. C. N. PULCHER. L. JUNIUS C. F. C. N. PULLUS. Christoph. Helvicus legit: P. CLAUD. PULCER.
.19	. .	3701	.247	503	C. AURELIUS COTTA II. P. SERVILIUS GEMINUS II. Die 10. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. AURELIUS L. F. C. N. COTTA II. P. SERVILIUS Q. F. CN. N. GEMINUS II.
.19	. .	3702	.246	504	L. CÆCILIUS METELLUS II. NUM. FABIUS BUTEO. Die 12. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. CÆCILIUS L. F. C. N. METELLUS II. N. FABIUS M. F. M. N. BUTEO. Christ. Helvicus legit: M. FAB. BUTEO.
.19	. .	3703	.245	505	MAN. OCTACILIUS CRASSUS. M. FABIUS LICINUS. Die 14. Maji. Onuphr. Panuinius & Joan. Freinshemius legunt: M'. OCTACILIUS C. F. M'. N. CRASSUS II. M. FABIUS C. F. M. N. LICINUS. Carol. Sigonius, S. V. Pighius, Joach. Greliius & Christoph. Helvicus legunt: M'. OTACILIUS. &c.
.19	. .	3704	.244	506	M. FABIUS BUTEO. C. ATILIUS BULBUS. Die 16. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: M. FABIUS M. F. M. N. BUTEO. C. ATILIUS A. F. A. N. BULBUS. Christoph. Helvicus legit: M. FAB. BUTEO II. C. ATTIL. BULB.

.19	. .	3705	.243	507	A. MAN. TORQUATUS ATTICUS. C. SEMPRONIUS BLÆSUS II. Die 18. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: A. MANLIUS T. F. T. N. TORQUATUS ATTICUS. C. SEMPRONIUS TI. F. TI. N. BLÆSUS II.
.19	. .	3706	.242	508	C. FUNDANIUS FUNDULUS. C. SULPITIUS GALLUS. Die 20. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. FUNDANIUS C. F. Q. N. FUNDULUS. C. SULPICIUS C. F. SER. N. GALLUS. Joach. Grellius legit: C. SULPITIUS.
.19	. .	3707	.241	509	C. LUTATIUS CATULUS. A. POSTUMIUS ALBINUS. Die 22. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. LUTATIUS C. F. C. N. CATULUS. A. POSTUMIUS A. F. L. N. ALBINUS. Joachim. Grellius legit: C. LUTACIUS CATULUS. Christoph. Helvicus legit: C. TUC. CAT. A. POSTH. ALBINUS.
.19	. .	3708	.240	510	A. MANLIUS TORQUATUS. Q. LUTATIUS CERCO. Die 24. Maji. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: A. MANLIUS T. F. T. N. TORQUATUS ATTICUS II. Q. LUTATIUS C. F. C. N. CERCO. Christ. Helvicus legit: Q. LUCT. CA. CER. A. M. TOR. II. Joan. Freinshemius legit: A. MANLIUS T. F. T. N. Cætera Cognomina hic omisit.
.20	. .	3709	.239	511	C. CLAUDIUS CENTHO. M. SEMPRONIUS TUDITANUS. Die 26. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. CLAUDIUS AP. F. C. N. CEN-

					N. CENTHO. M. SEMPRONIUS C. F. M. N. TUDITANUS. Christ. Helvicus legit: C. CL. CENTO.
.20	. .	3710	.238	512	C. MAMILIUS TURRINUS. Q. VALERIUS FALTO. Die 28. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: C. MAMILIUS Q. F. Q. N. TURINUS. (Onuphr. Panuinius tamen legit: TURRINUS) Q. VALERIUS Q. F. P. N. FALTO. Christ. Helvicus legit: C. MAM. TURR. P. VAL. FLACCUS.
.20	. .	3711	.237	513	T. SEMPRONIUS GRACHUS. P. VALERIUS FALTO. Die 30. Maji. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: TI. SEMPRONIUS TI. F. C. (Joan. Freinshemius verò legit: CN.) N. GRACCHUS. P. VALERIUS Q. F. P. N. FALTO. Joach. Grellius & Christ. Helvicus legunt: T. SEMPRONIUS. Tùm quoque Christ. Helvicus legit: T. SEM. GRACH.
.20 & .21	. . / . I	3712	.236	514	L. CORNELIUS LENTULUS CAUDINUS. Q. FULVIUS FLACCUS. Die 1. Junii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. CORNELIUS L. F. TI. N. LENTULUS CAUDINUS. Q. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS.
.20	. .	3713	.235	515	P. CORNELIUS LENTULUS CAUDINUS. C. LICINIUS VARUS. Die 3. Iunii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: P. CORNELIUS L. F. TI. N. LENTULUS CAUDINUS. C. LICINIUS P. F. P. N. VARUS.
.20	. .	3714	.234	516	T. MANLIUS TORQUATUS. C. ATILIUS BULBUS II. Die 5. Iunii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt:

				gunt: T. MANLIUS T. F. T. N. TORQUATUS. C. ATILIUS A. F. A. N. BULBUS II.
.20 . .	3715	.233	517	L. POSTUMIUS ALBINUS. SP. CARVILIUS MAXIMUS. Die 7. Iunii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. POSTUMIUS A. F. A. N. ALBINUS. SP. CARVILIUS SP. F. C. N. MAXIMUS. Christoph. Helvicus legit: L. POSTH. ALB.
.20 . .	3716	.232	518	Q. FABIUS MAXIMUS VERUCOSUS. MAN. POMPONIUS MATHO. Die 9. Iunii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS (S. V. Pighius autem legit: MAXUM.) VERRUCOSSUS. M'. POMPONIUS M'. F. M'. N. MATHO. Joan. Freinshemius legit: Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSUS. Christ. Helvicus legit: Q. FA. MA CUNC.
.20 . .	3717	.231	519	AIMILIUS LEPIDUS. M. PUBLICIUS MALLEOLUS. Die 11. Iunii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: M. AIMILIUS (S. V. Pighius verò legit: M. ÆMILIUS) M. F. M. N. LEPIDUS. M. POBLICIUS L. F. L. N. MALLEOLUS. Joach. Grellius legit: M. POPLICIUS. Christ. Helvicus legit: M. ÆM. LEP. M. PUBL. MALLEO. Ioan. Freinshemius legit: M. AIMILIUS M. F. M. N. LEPIDUS. M'. POBLICIUS L. F. L. N. MALLEOLUS.
.20 . .	3718	.230	520	M. POMPONIUS MATHO. C. PAPIRIUS MASO. Die 13. Iunii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Ioan. Freinshemius legunt: M. POMPONIUS M'. F. M'. N. MATHO. C. PAPIRIUS C. F. L. N. MASO.

M. ÆMI-

.20	. .	3719	.229	521	M. ÆMILIUS BARBULA. M. JUNIUS, PERA. Die 15. Junii. Onuphr. Panuinius S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: M. AIMILIUS L. F. Q. N. BARBULA. M. JUNIUS D. F. D. N. PERA. Carol. Sigonius & Chriſtoph. Helvicus legunt: M. ÆMILIUS. Joach. Grellius legit: M. ÆMYLIUS.
.20	. .	3720	.228	522	L. POSTUMIUS ALBINUS II. Q. FULVIUS CENTUMALUS. Die 17. Junii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: L. POSTUMIUS A. F. A. N. ALBINUS II. CN. FULVIUS CN. F. CN. N. CENTUMALUS. Chriſt. Helvicus legit: L. POSTH. ALB. C. FULV. CENTU.
.20	. .	3721	.227	523	SP. CARVILIUS MAXIMUS II. Q. FABIUS MAXIMUS CUNCTATOR II. Die 19. Junii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: SP. CARVILIUS SP. F. C. N. MAXIMUS II. Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS II. Chriſtoph. Helvicus legit: S. CARV. M. II. Q. FA. M. CU. II. Joan. Freinshemius legit: SP. CARVILIUS SP. F. CN. N. MAXIMUS II. Q. FABIUS Q. N. MAXIMUS VERRUCOSUS II.
.20	. .	3722	.226	524	P. VALERIUS FLACCUS. M. ATILIUS REGULUS. Die 21. Junii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: P. VALERIUS L. F. M. N. FLACCUS. M. ATILIUS M. F. M. N. REGULUS.
.20	. .	3723	.225	525	P. VALERIUS MESSALA. L. APUSTIUS FULLO. Die 7. Junii Juliani. Onuphr.

					Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: M. VALERIUS M'. F. M. N. MESSALLA. L. APUSTIUS L. F. C. N. FULLO. Christoph. Helvicus legit: M. VAL. MESSALAH.
.20	. .	3724	.224	526	L. AIMILIUS PAPUS. C. ATILIUS REGULUS. Die 26. Junii Juliani. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: L. AIMILIUS Q. F. CN. N. PAPUS. C. ATILIUS M. F. M. N. REGULUS. Joan. Freinshemius omisit Cognomen: REGULUS. Car. Sigonius & Christoph. Helvicus legunt: L. ÆMILIUS PAPUS.
.20	. .	3725	.223	527	T. MANLIUS TORQUATUS. Q. FULVIUS FLACCUS. Die 17. Junii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: T. MANLIUS T. F. T. N. TORQUATUS II. Q. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS II.
.20	. .	3726	.222	528	C. FLAMINIUS NEPOS. P. FURIUS CALVUS. Circa Diem primum Julii. Onuphr. Panuinius & Joan. Freinshemius legunt: C. FLAMINIUS C. F. L. N. P. FURIUS SP. F. M. N. PHILUS. S. V. Pighius legit: C. FLAMINIUS C. F. L. NEPOS. Christoph. Helvicus legit: C. FLAMI. NEPOS. P. FUR. PHILO.
.20	. .	3727	.221	529	CN. CORNELIUS SCIPIO. M. CLAUDIUS MARCELLUS. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Joan. Freinshemius legunt: CN. CORNELIUS L. F. L. N. SCIPIO CALVUS. M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS. Sethus Calvisius *in Opere suo Chronolog. Anno Mundi* 3728. *Antè* C. N. 220. de Die electorum Consulum ita disserit:

					rit: *Romæ Magistratum inierant hactenus Consules Calendis Quintilibus sive Julii, quæ ferè ad medium æstatis descenderant, ubi res geri, non Duces eligi convenientius est. Ideò cùm id vitium ex malè ordinato Calendario, quod annos justo longiores ex vitiosa intercalatione habebat, ortum esset, intercalationis mensem decurtarunt, undecim diebus in singulis bienniis subtractis, quantum ex proportione annorum colligere possumus; & voluerunt ut Consules posthac magistratum inirent Idibus Martiis, quæ hoc anno inciderunt legitimè ferè in Diem 13. Martii Juliani. Carol. Sigon.*
.20 & .21	. . .2	3728	.220	530	P. CORNELIUS SCIPIO ASINA. M. MINUTIUS RUFUS. Die 2. Martii. Onuphr. Panuinius legit: P. CORNELIUS CN. F. L. N. SCIPIO ASINA. M. MINUCIUS RUFUS. S. V. Pighius legit: M. MINUCIUS P. F. Q. N. RUFUS. Ioach. Grellius legit: M. MINUTIUS.
.20	. .	3729	.219	531	L. VETURIUS PHILO. C. LUTATIUS CATULLUS. Die 5. Martii. Sethus Calvisius *in Opere Chronolog. Anno Mundi* 3730. *Antè C. N.* 218. inquit: *Romæ cùm deprehenderetur, Consules non auspicatò creatos, abdicare coguntur, & alii creantur*: M. AIMILIUS LEPIDUS II. M. VALERIUS LÆVINUS. Onuphr. Panuinius legit: L. VETURIUS L. F. PHILO. C. LUTATIUS C. F. C. N. CATULUS. Vitio Facti Abdicarunt. In Eorum Locum Facti Sunt M. AIMILIUS M. F. M. N. LEPIDUS II. M. VALERIUS P. F. P. N. LÆVINUS. S. V. Pighius legit: L. VETURIUS L. F. TI. N. PHILO. C. LUTATIUS C. F. C. N. CATULUS. Vitio Facti Abdicarunt. In Eor. Loc. Facti Sunt M. ÆMILIUS M. F.

					M.N. LEPIDUS II. M. VALERIUS P. F. P.N. LÆVINUS. Chriſtoph. Helvicus legit: L. VET. PHILO. C. LUCT. CATULUS. Cæteri Chronologi, Carol. Sigonius, Ioachim. Grellius, Ioan. Freinshemius & Chriſtoph. Helvicus, duos ſaltem ab initio creatos Conſules L. VETURIUM & C. LUTATIUM commemorant, alteros duos M. ÆMILIUM & M. VALERIUM ſilent.
.20. & .21	. . . 5	3730	.218	532	M. LIVIUS SALINATOR. L. ÆMILIUS PAULUS. Die 23. Februarii. Onuphr. Panuinius, S. V. Pighius & Ioan. Freinshemius legunt: M. LIVIUS M. F. M. N. SALINATOR. L. AIMILIUS (S. V. Pighius legit: L. ÆMILIUS) M. F. M. N. (Ioan. Freinshemius omiſit: M. N.) PAULLUS. Carol. Sigonius legit: L. ÆMILIUS. Ioach. Grellius legit: L. AIMILIUS. Chriſtoph. Helvicus legit: L. ÆM. PAULUS.
.21	. 6	3731	.217	533	P. CORNELIUS SCIPIO. TIB. SEMPRONIUS LONGUS. Die 27. Februarii Iuliani. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: P. CORNELIUS L. F. L. N. SCIPIO. TI. SEMPRONIUS C. F. (S. V. Pighius ſolus addit: TI. N.) LONGUS.
.21	57	3732	.216	534	CN. SERVILIUS. C. FLAMINIUS. Die 17. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: CN. SERVILIUS P. F. Q. N. GEMINUS. C. FLAMINIUS C. F. L. N. II. In Prœlio Occis. Eſt. In Ejus Locum Factus Eſt M. ATILIUS M. F. M. N. REGULUS II. Sethus Calviſius legit: Q. FLAMINIUS II. *Romæ in locum cæſi Conſulis ſufficitur* M. ATTILIUS REGULUS II. Chriſt. Helvicus legit: C. FLAMMINIUS. Polyb. *lib. 3. cap.* 75. legit: C. FLAMINIUS.

.22	35	3733	.215	535	C. TERENTIUS VARRO. L. ÆMILIUS PAULUS II. Hoc anno Seth. Calvisius Diei incertus nullum expressit. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: L. ÆMILIUS PAULLUS II. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: C. TERENTIUS VARRO. L. AIMILIUS (S. V. Pighius legit: L. ÆMILIUS) M. F. M. N. PAULLUS II. In. Prœlio. Occisus. Est. Car. Sigonius legit: L. ÆMILIUS PAULLUS. Ioach. Grellius legit: L. AIMILIUS PAULUS. Christ. Helvicus legit: L. ÆMILIUS PAULUS II.
.23	24	3734	.214	536	L. POSTUMIUS III. T. SEMPRONIUS GRACCHUS. Die 9. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: L. POSTUMIUS A. F. A. N. ALBINUS III. TI. SEMPRONIUS TI. F. TI. N. GRACCHUS. L. POSTUMIUS AnteQ. Iniret. Occisus Est. In Ejus Loc. Fact. E. M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS II. Vitio Factns Abdicavit. In Ejus Loc. Fact. Est Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIM. VERRUCOSSUS III. Christoph. Helvicus legit: T. SE. GRACH. Q. FAB. CUNCT. III.
.24	9	3735	.213	537	Q. FABIUS MAXIMUS IV. M. CLAUDIUS MARCELLUS III. Die 13. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS IIII. M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS III. Seth. Calvisius & Christoph. Helvicus legunt: Q. FABIUS MAXIMUS CUNCTATOR IV.
.24	43	3736	.212	538	Q. FABIUS MAXIMUS Q. FABII MAXIMI FILIUS. T. SEMPRONIUS GRACCHUS II. Die 3. Februarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighi-

 Pighi-

					Pighius legunt: Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS. TI. SEMPRONIUS TI. F. TI. N. GRACCHUS II. Carol. Sigonius legit: Q. FABIUS MAX. VERUCOSI F. TI. SEMP. GRACCHUS II. Ioach. Grellius legit: Q. FABIUS MAXIMUS VERRUCOSI F. Seth. Calvisius & Christ. Helvicus legunt: Q. FABIUS MAXIMUS CUNCTATORIS FILIUS. TIB. SEMPRONIUS GRACHUS II.
.25	. 2	3737	.211	539	Q. FULVIUS FLACCUS. AP. CLAUDIUS PULCER. Die 5. Februarii. *In Editione* J. F. Gronovii legitur: APP. CLAUDIUS PULCHER. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS III. APPIUS CLAUDIUS P. F. AP. N. PULCHER. Christ. Helvicus legit: A. CL. PULCER.
.25	41	3738	.210	540	CN. FULVIUS CENTIMALUS. P. SULPICIUS SERVII FILIUS GALBA. Die 26. Ianuarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: CN. FULVIUS CN. F. CN. N. CENTUMALUS. P. SULPICIUS SER. F. P. N. GALBA MAXIMUS. Ioach. Grellius & Seth. Calvisius legunt: P. SULPITIUS GALBA. CN. FULVIUS CENTUMALUS. Christ. Helvicus legit: C. FULV. CENT. II.
.26	22	3739	.209	541	M. CLAUDIUS MARCELLUS. M. VALERIUS. Die 30. Ianuarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCEL LUS IV. M. VALERIUS P. F. P. N. LÆVINUS II. Seth. Calvisius & Christ. Helvicus legunt: M. VALERIUS LEVINUS. (C. Helvicus autem ponit, S. Calvisius omittit Numerum II.) *Notandum* verò, quod T. Livius *lib.* 26. *cap.* 22. scribit: *Cn. Fulvius*

					Romam Comitiorum causa accersitus, quum Comitia Consulibus rogandis haberet, prærogativa Centuria (*In Editione* J. F: Gronovii legitur: *prærogativa Veturia*) *juniorum declaravit* T. MANLIUM TORQUATUM, *&* T. OTACILIUM. *Recusante verò* T. MANLIO TORQUATO *Consulatum ob valetudinem oculorum, frustraq; urgente Centuria, Juniores secundò suffragium inière, &* M. CLAUDIUM MARCELLUM *&* M. VALERIUM LÆVINUM *Consules dixerunt.*
.27	. 6	3740	.208	542	Q. FABIUS MAXIMUS V Q. FULVIUS FLACCUS III Die 20. Ianuarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS VERRUCOSSUS V. Q. FULVIUS M. F. Q. N. FLACCUS IV. Seth. Calvisius & Christ. Helvicus legunt: Q. FABIUS MAXIMUS CUNCTATOR V. Q. FULVIUS FLACCUS.
.27	21& 22	3741	.207	543	M. MARCELLUS V. T. QUINTIUS CRISPINUS. Die 22. Ianuarii. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt; M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS V. In Prœlio Occisus Est. T. QUINCTIUS (S. V. Pighius solus addit: T. F.) CRISPINUS. In Mag. Ex Vulnere Mortuus Est. Ioach. Grellius & Seth. Calvisius legunt: T. QUINTIUS CRISPINUS. Christ. Helvicus legit: T. QU. CRISPAN.
135 . . | 3926 . . | 22 | 728 IMP. AUG. CÆSAR XI. A. TERENTIUS VARRO MURENA. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: IMP. CÆSAR DIVI F. C. N. AUGUSTUS XI. Abdic. In. Ejus. Loc. Factus. Est. L. SEXTIUS (S. V. Pighius autem legit: L. SESTIUS.) P. F. VIBI. NEPOS. (Alter Consulum hoc anno fuit) A. TERENTIUS A. F. VARRO MURENA. Ante Quam Inir. M. Est. (S. V. Pighius verò legit: In Mag. mortuus est.) In Ejus L. F. Est. CN. CALPURNIUS CN. F. CN. N. PISO. IMP. CÆSAR DIVI F. C. N. AUGUSTUS DICTAT. PERPET. APPELLATUS Est. Abdicavit. Trib. Pot. Accepta. Carol. Sigonius legit: C. CÆSAR AUGUSTUS X. CN. PISO. Joach. Grellius cum S. V. Pighio; & Seth. Calvisius cum Onuphr. Panuinio concordant. Christoph. Helvicus legit: AUG. CÆSAR XI. CN. CALP. PISO.

135 . . | 3927 . . | 21 | 729 M. CLAUDIUS MARCELLUS ÆSERINUS. L. ARRUNTIUS NEPOS. Onuphr. Panuinius & S. V. Pighius legunt: M. CLAUDIUS M. F. M. N. MARCELLUS ÆSERNINUS. (S. V. Pighius addit Numerum II.) L. ARRUNTIUS L. F. L. NEPOS. Ex A. D. V. Kal. Juli. IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONT. TRIB. POTESTAT. II. COS. XI. IMP. VIII. Censuram Perpetuam à Populo obtrusam repudiavit, ultimique EX PRIVATIS ab eo creati sunt CENSORES L. MUNATIUS L. F. L. N. PLANCUS. PAULLUS AIMILIUS (S. V. Pighius legit: PAUL. ÆMILIUS) L. F. M. N. LEPIDUS. Lustr. Non Fecer. (S. V. Pighius legit: LEPIDUS.

PIDUS. In. Mag. Mort. Eſt.) Carol. Sigonius & Joach. Grellius legunt: M. MARCELLUS. L. ARRUNTIUS. Chriſt. Helvicus legit: M. CL. MARC. L. ARUNT. NEPOS.

135 . . 3928 . . 20 730 Q. ÆMILIUS LEPIDUS. M. LOLLIUS. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX TRIBUNIC. POTESTAT. II. COS. XI. IMPERATOR VIII. IMP. CÆSAR DIVI F. C. N. AUGUSTUS XII. In Inſeq. Ann. Des. Erat. N. Iniit. In E. L. F. E. Q. AIMILIUS M'. F. LEPIDUS. M. LOLLIUS M. F. Ex A. D. V. Kal. Juli. IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONT. TRIB. POT. III. COS. XI. IMP. VIII. Steph. Vinand. Pighius legit: Q. ÆMILIUS M'. F. //. N. LEPIDUS. M. LOLLIUS. M. F. //. NEPOS. Carol. Sigonius & Joach. Grellius legunt: M. LOLLIUS. Q. LEPIDUS. Seth. Calviſius legit: COSS. Q. ÆMILIUS LEPIDUS. M. LOLLIUS. Cùm AUGUSTUS Conſulatum denegaret, LOLLIUS in ejus locum factus eſt. Chriſtoph. Helvicus legit: Q. ÆMILIUS LEPIDUS. L. LOLLUS.

135 . . 3929 . . 19 731 M. APULEJUS NEPOS. P. SILIUS NERVA. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX TRIBUNICIÆ POTESTATIS III. IIII. COS. XI. IMP. VIII. M. APPULEJUS SEX. F. SEX. NEPOS. P. SILIUS P. F. NERVA. S. V. Pighius in Lectione Conſulum cum Onuphr. Panuinio convenit. Carol. Sigonius & Joach. Grellius legunt: M. APPULEJUS. P. SILIUS. Chriſtoph. Helvicus legit: M. APULEJUS. P. SILIUS NERVA.

135	. .	3930	. . 18	732	Q. LUCRETIUS CINNA VESPILLO. C. SENTIUS SATURNINUS. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX TRIBUNIC. POTESTAT. IIII. V. COS. XI. IMP. VIII. IX. IMP. CÆSAR DIVI F. C. N. AUGUSTUS. XII. In Infeq. Ann. Des. Erat. N. Iniit. In E. L. F. F. Q. LUCRETIUS Q. F. VISPILLO. C. SENTIUS C. F. C. N. SATURNINUS. Ex Kal. Julis M. VINUCIUS P. F. IMP. CÆS. DIVI F. AUGUSTUS MORUM LEGUM Q. REGIMEN ITERUM IN QUINQUENNIUM ACCEPIT. Steph. Vinand. Pighius ſcribit: CONSULES. C. SENTIUS C. F. C. N. SATURNINUS. Hic C. SENTIUS Conſulatum ſolus iniit, cùm alter locus AUGUSTO, abſenti licet, reſervaretur. Quo refutante, cùm Collega Sentio dandus eſſet, ob factiones ambientium Comitia haberi non poterant, ita ut Senatus legatos ideò ad AUGUSTUM mittere cogeretur. Qui re intellecta, Q. LUCRETIUM Q. F. VESPILLONEM, unum ex Legatis, licet ANTEA PROSCRIPTUM, CONSULEM declaravit. C. SENTIO ſuffectus Conſul Ex K. Jul. M. VINUCIUS P. F. //. N. Q. LUCRETIO //. VIPSANIUS //. F. //. N. AGRIPPA. In cæteris S. V. Pighius Onuphr. Panuinio correſpondet. Et cum utroque in omnibus concordat Joach. Grellius. Carol. Sigonius legit: C. SENTIUS. Q. LUCRETIUS. Chriſtoph. Helvicus legit: C. SENT. SATUR. Q. LUC. VESPEL.
135	. .	3931	. . 17	733	P. CORNELIUS LENTULUS MARCELLINUS. CN. CORNELIUS LENTULUS. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI

F. AU-

F. AUGUSTUS PONTIF. TRIBUNIC. POTEST. V. VI. COS. XI. IMP. IX. Eodem Anno M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA TRIBUNICIAM POTEST. AB IMP. CÆSARE AUG. IN QUINQUENN. ACCEP. P. CORNELIUS P. F. CN. N. LENTULUS MARCELLINUS. CN. CORNELIUS L. F. LENTULUS. IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS. ET M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA R. P. C. POTEST. IN QUINQ. ACCEPER. Steph. Vinand. Pighius legit: CONSULES. P. CORNELIUS P. F. //. N. LENTULUS MARCELLINUS. CN. CORNELIUS L. F. //. N. LENTULUS. Et cum utroq; concordat Joach. Grellius. Seth. Calvisius scribit: AUGUSTUS, *cùm decennii Principatus in exitu esset, in aliud quinquennium sibi Principatum prorogavit.* AGRIPPÆ GENERO AUGUSTUS *eadem ferè quæ sibi, tùm præcipuè Tribunitiam potestatem in quinquennium dedit.* At Carol. Sigonius legit: CN. LENTULUS. P. LENTULUS. Christoph. Helvicus legit: P. COR. LENT. MAR. C. COR LENT.

135 · · 3932 · · 16 734 C. FURNIUS. C. JUNIUS SILANUS. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIF. TRIBUNIC. POTEST. VI. VII. COS. XI. IMP. IX. M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBUNIC. POTEST. II. COS. III. IMP. : : C. FURNIUS C. F. C. JUNIUS C. F. SILANUS. Steph. Vinand. Pighius legit: C. FURNIUS C. F. //. NEPOS. C. JUNIUS C. F. //. N. SILANUS. Et cum utroq; concordat Joach. Grellius. At Carol. Sigonius legit: C. FURNIUS. C. SILANUS. Chri-

Christoph. Helvicus cum Seth. Calvisio convenit.

135 . . 3933 . . 15 735 A. DOMITIUS AHENOBARBUS. P. CORNELIUS SCIPIO. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONT. TRIBUNIC. POTESTAT. VII. VIII. COS. XI. IMP. IX. M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBUNIC. POTESTAT. III. COS. III. IMP. : : L. DOMITIUS CN. F. L. N. AHENOBARBUS. P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO. Ex Kal. Jul. L. TARIUS RUFUS. Steph. Vinand. Pighius legit: CONSULES. L. DOMITIUS CN. F. L. N. AHENOBARBUS. P. CORNELIUS P. F. P. N. SCIPIO. Ex. //. //. L. TARIUS //. F. //. N. RUFUS. Cum utroque convenit Joach. Grellius, eo excepto, quod legat: L. DOMITIUS CN. F. L. N. ÆNOBARBUS. Carol. Sigonius legit: L. DOMITIUS. P. SCIPIO. Seth. Calvisius legit: A. DOMITIUS AHENOBARBUS. P. CORNELIUS SCIPIO. SCIPIONI Calendis Augusti sufficitur L. TARIUS.

136 . . 3934 . . 14 736 M. LIVIUS DRUSUS LIBO. L. CALPURNIUS PISO CÆSONINUS. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX TRIBUNIC. POTEST. VIII. IX. COS. XI. IMP. IX. M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBUNIC. POTESTAT. IIII. COS. III. IMP. : : M. LIVIUS L. F. DRUSUS LIBO. L. CALPURNIUS L. F. L. N. PISO CÆSONINUS. Steph. Vinand. Pighius legit: M. LIVIUS L. F. //. N. DRUSUS LIBO. L. CALPURNIUS L. F. L. N. PISO. Carol. Sigonius legit:

Mol. Jug.

legit: M. DRUSUS. L. PISO. Joach. Grellius ex Fragmento Colotiano legit: M. DRUSUS. M. F. L. PISO. Christ. Helvicus legit: M. LI. DRUS. LIBO. L. CAL. PISO.

136 . . 3935 . . 13737 M. LICINIUS CRASSUS. CN. CORNELIUS LENTULUS AUGUR. Hic posteà GETULICUS appellatus est. AUGUSTUS MORUM LEGUM QUE REGIMEN IN TERTIUM QUINQUENNIUM ACCIPIT. Ita Seth. Calvisius habet. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX TRIB. POTEST. IX, X. COS. XI. IMP. IX. M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA PONTIFEX TRIBUNIC. POTESTAT. V. COS. III. IMP.: : M. LICINIUS M. F. M. N. CRASSUS. CN. CORNELIUS CN. F. LENTULUS AUGUR. Qui Posteà GETULICUS Appellatus Est. IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS MORUM LEGUM Q. REGIMEN TERT. IN QUINQUENN. ACCEPIT. S. V. Pighius legit: CONSULES. M. LICINIUS M. F. M. N. CRASSUS. CN. CORNELIUS CN. F. //. N. LENTULUS. Cum utroq; concordat Joach. Grellius. At Carol. Sigonius legit: CN. LENTULUS. M. CRASSUS. Christ. Helvicus legit: M. LIC. CRASS. CN. COR. LENTU.

136 . . 3936 . . 12738 TIBERIUS CLAUDIUS NERO. Pòst IMP. P. QUINCTILIUS VARUS. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIF. TRIBUNIC. POTEST. X. XI. COS. XI. IMP. IX. M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA PONT. TRIBUNICIAM POTESTATEM ITERUM

IN QUINQUENN. ACCEPIT. TI. CLAUDIUS TI. F. AP. N. NERO. Qui Posteà TI. CÆSAR AUGUSTUS Appell. Est. Eodem Anno Ex A. D. Prid. Nonas Mart. IMP. CÆSAR. DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS FACTUS EST. IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS R. P. C. POTESTATEM TERT. IN QUINQUENNIUM ACCEPIT. (Tùm Alter Consul hoc Anno fuit:) P. QUINCTILIUS SEX. F. VARUS. S. V. Pighius legit: CONSULES. TI. CLAUDIUS TI. F. AP. N. NERO. P. QUINCTILIUS SEX. F. //. N. VARUS. His concordat Joach. Grellius. At Carol. Sigonius legit: TI. NERO. P. QUINCTILIUS. Christ. Helvicus legit: TIB. CL. NERO. P. QUINCT. VARUS.

136 & 137 . . 3937 . . 11 739 M. VALERIUS MESSALA BARBATUS. P. SULPITIUS QUIRINUS. MESSALA in Magistratu mortuus est: In ejus locum factus est Consul C. VALGIUS, qui tamen non iniit. Indè C. CANINIUS REBILIUS, qui & ipse in Magistratu mortuus est. Ita Seth. Calvisius habet. Onuphr. Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONT. MAXIM. TRIB. POTEST. XI. XII. COS. XI. IMP. IX. X. M. VIPSANIUS L. F. AGRIPPA PONT. TRIB. POTEST. VII. COS. III. IMP. : : : Qui Hoc Anno Mort. Est. (Tùm Consul hoc Anno fuit:) M. VALERIUS M. F. M. N. MESSALLA BARBAT. AIMIL. In Mag. Mort. Est. In Ejus Locum F. Est C. VALGIUS C. F. RUFUS. Abdic. In E. L. F. E. C. CANINIUS C. F. C. N. REBILUS. In M. M. Est. (Tùm Alter Consul hoc Anno fuit:)

fuit :) P. SULPICIUS P. F. P. N. QUIRINUS. S. V. Pighius legit : CONSULES. M. VALERIUS M. F. M. N. MESSALLA. BARBATUS. ÆMILIAN. In. Mag. Mort. eſt. In. Ejus. L. F. E. C. VALGIUS. C. F. RUF. Abdic. In. E. L. F. E. C. CANINIUS C. F. C. N. REBIL. In. Mag. M. E. (Tùm Alter Conſul fuit :) P. SULPICIUS P. F. P. N. QUIRINUS. IMP. CÆSAR DIVI F. C. N. AUGUSTUS PRÆFECTURAM MORUM IN ALIUD QUINQUENNIUM ACCEPIT. Joach. Grellius in cunctis cum S. V. Pighio correſpondet. Enimverò, in Anno Præfecturæ Morum denuò per IMP. CÆSAREM DIVI F. AUGUSTUM obtentæ S. V. Pighius & Joach. Grellius ab Onuphrio Panuinio triennio diſcrepant & errant. Carol. Sigonius legit : M. MESSALLA. P. SULPICIUS. Chriſt. Helvicus legit : M. VAL. MESS. P. SULP. QUIRINUS.

138 . . 3938 . . 10 740 PAULUS FABIUS MAXIMUS. Q. AILIUS TUBERO. Onuphr. Panuinius legit : IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIF. MAXIM. TRIB. POTEST. XII XIII. COS. XI. IMP. XI. XII. PAULLUS FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS. Q. AILIUS Q. F. TUBERO. S. V. Pighius legit : CONSULES. Q. ÆLIUS Q. F. //. N. TUBERO. PAULUS FABIUS Q. F. //. N. MAXIMUS. Carol. Sigonius legit : PAULLUS FABIUS. Q. ÆLIUS. Joach. Grellius & Chriſt. Helvicus cum S. V. Pighio concordant.

139 . . 3939 . . . 9 741 JULIUS ANTONIUS. Q. FABIUS MAXIMUS AFRICANUS. Onuphr. Panuinius legit : IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIF. MAXIM. TRIBUNIC. POTEST. XIII.

XIV. COS. XI. IMP. XII. JULUS ANTONIUS M. F. M. N. Q. FABIUS Q. F. Q. N. MAXIMUS AFRICANUS. S. V. Pighius legit: CONSULES. JULUS ANTONIUS M. F. M. N. AFRICANUS. Q. FABIUS Q. F. //. N. MAXIMUS. Carol. Sigonius legit: JULUS. ANTONIUS, Q. FABIUS. Joach. Grellius cum S. V. Pighio concordat. Christ. Helvicus legit: Q. F. MAX. AFR. JUL. ÆTONIUS.

140 . . 3940 . . . 8 742 NERO CLAUDIUS DRUSUS. T. QUINCTIUS CRISPINUS. Onuphrius Panuinius legit: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONT. MAX. TRIB. POTEST. XIV. XV. COS. XI. IMP. XIII. NERO CLAUDIUS TI. F. AP. N. DRUSUS GERMANIC. In Mag. Mort. Est. In E. L. F. Est. : : . . : : . . (Tùm Alter Consul hoc Anno fuit:) T. QUINCTIUS T. F. CRISPINUS. IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS MORUM LEGUM QUE REGIMEN QUART. IN DECENNIUM ACCEPIT. Stephanus Vinandus Pighius legit: CONSULES. NERO CLAUDIUS TI. F. AP. N. DRUSUS. In Magistratu mortuus est. T. QUINCTIUS T. F. //. N. CRISPINUS. Carolus Sigonius legit: DRUSUS NERO. T. QUINCTIUS. Joachimus Grellius legit: DRUSUS NERO. T. QUINTIUS. Christoph. Helvicus legit: CL. DR. NERO. T. QUI. CRISPINUS.

Carolus Sigonius *in Scholiis in Chronologiam Livianam in Annum DCCXLI. ad finem* sic scribit: *Nemo certè scire potest, quo usq; Livius Historiam extenderit.* Joachimus Grellius *ad calcem Chronologiæ in Titi Livii Historiam* ita scribit: *Hîc finiente Historia Liviana, cujus gratia confectio hujus Chronologiæ suscepta est, hæc quoq; finem accipit.* Et sic FASTI hi quoq; ROMANORUM LIVIANI terminantur.

ΕΝΚΩ.

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ
LIVIANUM
Hoc. est
ELOGIA
TITI. LIVII. PATAVINI
Ex
Auctoribus, tàm, Antiquis, quàm. Recentibus. Collecta
Ac
DIS. MANIBUS
IN. ÆDE. HONORIS
Ad. Aram. Nominis. Numinis. Que
Ejusdem. Votivam
APPENSA
ET. ÆTERNITATI. SACRATA
AB
ELIA. CONSTANTIO. VON. TREWEN
SCHRÖDER. GEDANENSI. JC
ET. SAC. REG. MAJEST. POLON
SECRETARIO.

Plato in Lachete. Operum Ejus Tomo II, Pag. mihi 181.

Ὦ Σώκρατες, Οὗτος μέντοι ὁ ἔπαινος ἐστι καλὸς, ὃν σὺ νῦν ἐπαινῇ, ὑπ᾽ ἀνδρῶν ἀξίων πιστεύεσθαι. καὶ εἰς ταῦτα εἰς ἃ οὗτοι ἐπαινοῦσιν. Εὖ οὖν ἴσθι ὅτι ἐγὼ ταῦτα ἀκούων, χαίρω ὅτι εὐδοκιμεῖς. κἀμὲ δὲ ἡγοῦμαι ἐν τοῖς εὐνουστάτοις σοὶ εἶναι.

M. Tullius Cicero Epistol. Familiar. Lib. V. Epist. XII, & Lib. XV. Epistol. VI. Oper. Ejus Tom. III. Pag. mihi 52. & 183. ac Tusculanar. Quæstion. Lib. IV. Oper. Ejus Tom. IV. Pag. mihi 174.

Lætus sum, *inquit Hector Nævianus*,
Laudari me abs te, Pater, laudato viro.

Ea est enim profectò jucunda Laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in Laude vixerunt.

L. Annæus Seneca Epist. CII. Pag. mihi 401. & 402.

Diversa horum (*Gloriæ ac Famæ*) conditio est, & illius, (*Claritatis sive Laudis.*) Quare? quia si de me benè vir bonus sentit, eodem loco sum, quo, si omnes boni idem sentirent, omnes enim si me cognoverint, idem sentient. Par illis idemq; judicium est; æquè verò insistitur ab his, qui diffidere non possunt. Ita pro eo est, ac si omnes idem sentiant: quia aliud sentire non possunt. Ad Gloriam & Famam, non est satis unius opinio. Illic idem potest unius sententia, quod omnium: quia omnium si perrogetur, una erit: hìc diversa dissimilium judicia sunt, dissimiles affectus. Dubia omnia invenias, levia, suspecta. Putas tu posse sententiam unam omnium esse? non est unius una. Illis placet verum: veritatis una vis, una facies est: apud hos falsa sunt, quibus assentiuntur. Numquam autem falsis constantia est: variantur & dissident. Sed Laus, inquit, nihil aliud quàm vox est: vox autem bonum non est. Cùm dicunt Claritatem Laudem esse bonorum, â bonis redditam; jam non ad vocem referunt, sed ad sententiam.

Licet enim vir bonus taceat, ſed aliquem indicet dignum Laude, Laudatus eſt. Præterea, aliud eſt Laus, aliud Laudatio. Hæc & vocem exigit. Itaq; nemo dicit Laudem funebrem, ſed Laudationem, cujus Officium oratione conſtat. Cùm dicimus aliquem Laude dignum, non verba illi benigna hominum, ſed judicia promittimus. Ergò Laus etiam taciti eſt benè ſentientis, ac bonum virum apud ſe laudantis. Deindè, ut dixi, ad animum refertur Laus, non ad verba; quæ conceptam Laudem egerunt, & in notitiam plurium emittunt. Laudat, qui Laudandum eſſe judicat. Cùm Tragicus ille apud nos ait, Magnificum eſſe Laudari à Laudato Viro: Laude digno, ait. Et cùm æquè antiquus Poeta ait, Laus alit artes: non Laudationem dicit, quæ corrumpit artes. Nihil enim æquè & eloquentiam, & omne aliud ſtudium auribus deditum vitiavit, quàm popularis aſſenſio. Fama utiq; vocem deſiderat, Claritas non. poteſt enim citrà vocem contingere, contenta judicio: plena eſt, non tantùm inter tacentes, ſed etiam inter reclamantes. Quid interſit inter Claritatem & Gloriam, dicam. Gloria multorum judiciis conſtat, Claritas bonorum. Cujus, inquit, bonum eſt Claritas, id eſt, Laus bono à bonis reddita? utrum Laudati, an Laudantis? Utriusq;: meum qui Laudor, quia natura me amantem omnium genuit; & benè feciſſe gaudeo, & gratos me inveniſſe virtutum interpretes lætor. Hoc plurium bonum eſt, quod grati ſunt, ſed & meum. Ita enim animo compoſitus ſum, ut aliorum bonum, meum judicem: utiq; eorum, quibus ipſe ſum boni cauſa. Eſt illud laudantium bonum: virtute enim geritur: omnis autem virtutis actio bonum eſt. Hoc contingere illis non potuiſſet, niſi ego talis eſſem. Itaq; utriusq; bonum eſt, meritò laudari, tàm mehercule, quàm benè judicaſſe, judicantis bonum eſt, & ejus, ſecundùm quem judicatum eſt. Numquid dubitas, quin juſtitia & habentis bonum ſit, & ejus cui debitum ſolvit? Merentem Laudare, Juſtitia eſt: igitur utriusq; bonum eſt.

ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ LIVIANUM,

Hoc est,

ELOGIA TITI LIVII PATAVINI.

M. Annæus Seneca Pater Rhetor Svasoria VI.



Uotiens magni alicujus mors ab Historicis narrata est, totiens ferè consummatio vitæ, & quasi funebris laudatio redditur. Hoc semel atq; iterum à Thucydide factum, idem in paucissimis personis usurpatum à Sallustio, LIVIUS benignius omnibus magnis viris præstitit. Sequentes Historici multò id effusius fecerunt. Ciceroni hoc, ut Græco verbo utar, Ἐπιτάφιον LIVIUS reddit. T. LIVII. Vixit tres & sexaginta annos, ut si vis adfuisset, ne immatura quidem mors videri posſit: ingenium & operibus & præmiis operum felix: ipse fortunæ diu prosperæ & in longo tenore felicitatis, magnis interim ictus vulneribus, exilio, ruina partium pro quibus steterat, filiæ morte, exitu tàm tristi atq; acerbo, omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit, præter mortem, quæ verè æstimanti minus indigna videri potuit, quod à victore inimico nil crudelius passurus erat, quàm quod ejusdem fortunæ compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, & in cujus laudes sequendas Cicerone laudatore opus fuerit. Ut est natura candidissimus omnium magnorum ingeniorum æstimator T. LIVIUS; plenissimum testimonium Ciceroni reddidit.

Idem. Lib. IV. Controvers. XXV.

T. LIVIUS de Oratoribus, qui verba antiqua & sordida consectantur, & orationis obscuritatem severitatem putant, ajebat Miltiadem Rhetorem leganter dixisse: Ἐπὶ τὸ πλησίον μαίνονται. Tamen in iis etiam, si minus est

insa-

insaniæ, minus spei est. Illi, qui tument, & abundantia laborant, plus habent furoris, sed plus etiam corporis. Semper autem ad sanitatem proclivius est, quod potest detractione curari. Illi succurri non potest, qui simul insanit & deficit.

Idem Lib. V. Controversiar. in proœmio.

Pertinere autem ad rem non puto, quomodo L. Magius gener T. LIVII declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuit, cùm illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent.

L. Annæus Seneca Filius Philosophus de Ira Lib. I. Cap. XVI.

Non est quod credas irascentium verbis: quorum strepitus magni, minaces sunt, intus mens pavidissima. Non est quod existimes verum esse, quod apud disertissimum virum LIVIUM dicitur, Vir ingenii magni magis quàm boni. Non potest illud separari: aut magnum & bonum erit, aut nec magnum. quia magnitudinem animi inconcussam intelligo, & introrsus solidam, ab imo parem firmamque: qualis inesse malis ingeniis non potest. Terribilia enim esse, & tumultuosa, & exitiosa possunt: magnitudinem quidem, cujus firmamentum roburq; bonitas est, non habebunt. ceterùm sermone, conatu, & omni extrà paratu facient magnitudinis fidem.

Idem in Epistola XLVI.

Librum tuum quem mihi promiseras, accepi, & tanquam lecturus ex commodo adaperui, ac tantùm degustare volui. Deindè blanditus est ipse, ut procederem longius, qui quàm disertus fuerit, ex hoc intelligas licet. Brevis mihi visus est, cùm esset nec mei, nec tui temporis, sed qui primo adspectu aut T. LIVII, aut Epicuri posset videri. Tanta autem dulcedine me tenuit & traxit, ut illum sine ulla dilatione perlegerem. Sol me invitabat, fames admonebat, urbes minabantur: tamen exhausi totum. Non tantum delectatus, sed gavisus sum.

Idem in Epistola C.

Affer quem Fabiano possis præponere. Dic Ciceronem, cujus libri ad Philosophiam pertinentes, pænè totidem sunt, quot Fabiani. Cedam. sed non statim pusillum est, si quid maximo minus est. Dic Asinium Pollionem. Cedam. & respondeamus: in re tanta eminere est, & post duos esse. Nomina

 adhuc

adhuc LIVIUM. Scripſit enim & DIALOGOS,quos non magis Philoſophiæ annumerare poſsis, quàm Hiſtoriæ: & ex profeſſo PHILOSOPHIAM continentes LIBROS. Huic quoq; dabo locum: vide tamen, quàm multos antecedat, qui à tribus vincitur,& tribus eloquentisſimis.

C. Vellejus Paterculus Hiſtoriæ Romanæ Lib. 2. Cap. 36. num. 3.

Pænè ſtulta eſt inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maximè noſtri ævi eminent; princeps carminum Virgilius Rabiriusque, & conſecutus Salluſtium LIVIUS, Tibullusque & Naſo, perfectisſimi in forma operis ſui. nam vivorum ut magna admiratio, ita cenſura difficilis eſt.

Valerius Maximus Dictor. Factor. Quæ Memorabil. Lib. 1. Externor. Cap. Ult.

Quæ quia ſuprà uſitatam rationem excedentia attigimus, Serpentis quoque à T. LIVIO curiosè pariter ac facundè relata fiat mentio. Is enim ait in Africa apud Bagradam flumen tantæ magnitudinis Anguem fuiſſe, ut Attilii Reguli exercitum uſu amnis prohiberet: multisq; militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus eliſis, cùm telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum baliſtarum tormentis undiq; petitam, ſilicum crebris & ponderoſis verberibus procubuiſſe, omnibusq; & cohortibus & legionibus ipſa Carthagine viſam terribiliorem. Atque etiam cruore ſuo gurgitibus imbutis, corporisq; jacentis peſtifero afflatu vicina regione polluta, Romana indè ſummoviſſe caſtra. Dicit belluæ etiam corium CXX. pedes longum, in Urbem miſſum.

M. Fabius Quintilianus Inſtitut. Oratoriar. Lib. II. Cap. V. Pag. mihi 75.

Ego optimos quidem, & ſtatim, & ſemper, ſed tamen eorum candidiſſimum quenque, & maximè expoſitum velim, ut LIVIUM à pueris magis quam Salluſtium; & hic Hiſtoriæ majoris eſt auctor, ad quem tamen intelligendum jam profectu opus ſit. Cicero, ut mihi quidem videtur, & jucundus incipientibus quoq; & apertus eſt ſatis: nec prodeſſe tantùm, ſed etiam amari poteſt, tum (quemadmodum LIVIUS præcipit) ut quisq; erit Ciceroni ſimillimus.

Idem Institut. Oratoriar. Lib. IIX. Cap. I. Pag. mihi 348.

Multos enim quibus loquendi ratio non desit, invenias; quos curiosè potius loqui dixeris, quàm Latinè: quomodo & illa Attica anus Theophrastum hominem alioqui disertissimum annotata unius affectatione verbi, hospitem dixit: nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimiùm Atticè loqueretur. Et in TITO LIVIO miræ facundiæ viro, putat inesse Pollio Asinius quandam Patavinitatem. Quare, si fieri potest, & verba omnia, & vox, hujus alumnum Urbis oleant: ut Oratio Romana planè videatur, non Civitate donata.

Idem Institution. Oratoriar. Lib. X. Cap. I. Pag. mihi 453.

Historia quoque alere Orationem quodam molli jucundoq; succo potest. Verùm & ipsa sic est legenda, ut sciamus plerasq; ejus virtutes Oratori esse vitandas. Est enim proxima Poëtis, & quodammodò carmen solutum: & scribitur ad narrandum, non ad probandum: totumq; opus non ad actum rei, pugnamque præsentem; sed ad memoriam posteritatis, & ingenii famam componitur, ideoq; & verbis liberioribus, & remotioribus figuris narrandi tædium evitat. Itaq;, ut dixi, neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atq; eruditas potest esse perfectius, apud occupatum variis cogitationibus Judicem, & sæpius ineruditum, captanda nobis est: neq; illa LIVII lactea ubertas satis docebit eum, qui non speciem expositionis, sed fidem quærit. Adde quod M. Tullius ne Thucydidem quidem aut Xenophontem utiles Oratori putat, quanquam illum bellicum canere, hujus ore Musas esse locutas existimet. Licet tamen nobis in digressionibus uti vel Historico nonnunquam nitore, dùm in iis, de quibus erit quæstio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse: nec versicolorem illam, qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem benè ad forensem pulverem facere. Est & alius ex Historiis usus, & is quidem maximus, sed non ad præsentem pertinens locum, ex cognitione rerum exemplorumque, quibus in primis instructus esse debet Orator, ne omnia testimonia expetat à litigatore: sed pleraque ex vetustate diligenter sibi cognita sumat: hoc potentiora, quod

ea ſola criminibus odii, & gratiæ vacant. A Philoſophorum verò lectione ut eſſent nobis multa petenda, vitio factum eſt Oratorum, qui quidem illis optima ſui operis parte ceſſerunt. Nam & de juſtis, honeſtis, utilibus; quæq; ſunt his contraria; & de rebus Divinis maximè dicunt, & argumentantur acriter; & altercationibus atq; interrogationibus. Oratorem futurum optimè Socratici præparant. Sed his quoque adhibendum eſt ſimile judicium, ut etiam cùm in rebus verſemur iisdem, non tamen eandem eſſe conditionem ſciamus litium ac diſputationum, fori & auditorii, præceptorum & periculorum. Credo exacturos pleroſque, cùm tantum eſſe utilitatis in legendo judicemus, ut id quoque adjungamus operi, qui ſint legendi, quæ in quoque autore præcipua virtus. Sed perſequi ſingulos, infiniti fuerit operis. Quippè cùm in Bruto M. Tullius tot millibus verſuum de Romanis tantum Oratoribus loquatur, & tamen de omnibus ætatis ſuæ, quibus cum vivebat, exceptis Cæſare atq; Marcello, ſilentium egerit: quis erit modus, ſi & illos, & qui poſteà fuerunt, & Græcos omnes, & Philoſophos & Poëtas perſequi velim? Fuerit igitur brevitas illa tutisſima, quæ eſt apud LIVIUM in Epiſtola ad Filium ſcripta, legendos Demoſthenem atq; Ciceronem; tùm ita ut quisque eſſet Demoſtheni & Ciceroni ſimillimus. Non eſt tamen diſſimulanda noſtri quoq; judicii ſumma. Paucos enim, vel potius vix ullum ex iis qui vetuſtatem pertulerunt, exiſtimo poſſe reperiri, qui judicium adhibentibus non allaturus ſit utilitatis aliquid; cùm ſe Cicero ab illis quoque vetuſtiſſimis Autoribus, ingenioſis quidem, ſed arte carentibus, plurimùm fateatur adjutum. Nec multò aliter de nobis ſentio. Quotus enim quisque inveniri tàm demens poteſt, qui ne minima quidem alicujus certæ fiduciâ partis, MEMORIAM POSTERITATIS SPERAVERIT? Qui ſi quis eſt, intrà primos ſtatim verſus deprehendetur, & citius nos dimittet, quàm ut ejus nobis magno temporis detrimento conſtet experimentum.

Idem Loc. Cit. Pag. mihi 462.

At Hiſtoria non ceſſerit Græcis, nec opponere Thucydidi Salluſtium verear; nec indignetur ſibi Herodotus æquari T. LIVIUM, cùm in narrando miræ jucunditatis, clarisſimiq; candoris; tùm in concionibus ſuprà quàm enarrari poteſt eloquentem: ita dicuntur omnia cùm rebus tùm perſonis accommodata; ſed affectus quidem, præcipuè eos qui ſunt dulciores,

ut

ut parcissimè dicam, nemo Historicorum commendavit magis. Ideoq; immortalem illam Sallustii velocitatem, diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregiè dixisse videtur Servilius Novianus, pares eos magis quàm similes.

C. Plinius Secundus Naturalis Historiæ Lib. I. in Præfat. ad Vespasianum Imp.

Res ardua, vetustis novitatem dare, novis autoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ suæ omnia. Itaque etiam non assecutis, voluisse, abundè pulchrum atque magnificum est. Equidem ita sentio, peculiarem in studiis causam eorum esse, qui difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi: Idquè jam & in aliis operibus ipse feci; & profiteor mirari me T. LIVIUM, Autorem celeberrimum, in Historiarum suarum, quas repetit ab Origine Urbis, quodam volumine sic orsum: Satis jam sibi gloriæ quæsitum; & potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere. Profectò enim Populi gentium Victoris, & Romani nominis gloriæ, non suæ composuisse illa decuit. Majus meritum esset, operis amore, non animi causâ perseverasse: & hoc Populo Romano præstitisse, non sibi.

Notandum: *Quod* C. PLINIUS SECUNDUS *calumniosè* T. LIVIUM *apud* TITUM VESPASIANUM IMP. *Fastus & Jactantiæ traducat & accuset, quasi Gloriam rerum gestarum* Populi *Romani sibi adscribat; dum opere saltem suo in conscribendis iis lætetur, sibiq; gratuletur. Et meritò; cùm eidem gratulabundi ex ultimis Hispaniæ Galliarumq; finibus Romam venerint;* C. PLINIUM *nec salutantes. Hinc Invidia Virtutis Comes; quâ omnium laudibus* ILLUM *cumulatum* HIC *detrectat, & semet ipsum celebrat & commendat.*

C. Plinius Cæcilius Secundus Novocomensis Epistolarum Lib. II. Epist. III. Pag. mihi 82.

Nunquamne legisti Gaditanum quendam TITI LIVII nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimq; ut viderat abiisse?

C. Cornelius Tacitus Annal. Lib. IV. Cap. XXXIV. num. 3. 4. 5. 6. & 7.

Verba mea, *inquit Cremutius Cordus*, P. C. arguuntur: adeò factorum inno-

innocens ſum. Sed neq; hæc in Principem, aut Principis Parentem, quos Lex Majeſtatis amplectitur: Brutum & Caſſium laudaviſſe dicor. Quorum res geſtas cum plurimi compoſuerint, nemo ſine honore memoravit. TITUS LIVIUS, eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut POMPEJANUM eum Auguſtus appellaret. Neq; id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, huncipſum Casſium, hunc Brutum, nusquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpè ut inſignis viros nominat. Aſinii Pollionis ſcripta, egregiam eorundem memoriam tradunt. Meſſalla Corvinus, Imperatorem ſuum Casſium prædicabat: & uterq; opibusq; atq; honoribus perviguere.

Plutarchus Chæronenſis Oper. Tom. I. in Vita Camilli Pag. mihi 131. *&* 132.

Urbe (*Vejorum*) expugnata, militibusque ingentem egerentibus prædam, contemplans ex arce cuncta Camillus, primùm illacrymavit: deindè, quum celebraretur à circumſtantibus felicitas ejus, manus ad cœlum tollens precatus eſt: Jupiter Opt. Max. Diique rectè ac malè factorum arbitri, haud vos latet non injuſtè nos, ſed neceſſitate compulſos ab infeſtorum & nefariorum hoſtium civitate perſequi pœnas. Si qua tamen nos manet viciſſim hujus invidia proſperitatis, oro ut eam luere ego pro Urbe Exercituque Romano quàm minimo meo privato incommodo valeam. Simul atque ita factus eſt, (ut in more eſt Romanis, à precibus & veneratione Deorum ſeſe convertere dextrorſum,) dum circumagit ſe, prolabitur. Perculſis illis qui aderant, quum humo erexiſſet ſe, Ab immenſa felicitate, inquit, levi ex voto defunctus ſum caſu. Urbe direpta, Junonis ſignum Romam deportare, ut voverat, viſum eſt. Convocatis ad id artificibus, Camillus ſacra fecit, precatusque Deam ut ſtudium amplecteretur Romanorum, volensque & propitia Diis Romam incolentibus commigraret. Signum ferunt ſummiſſa voce velle & annuere dixiſſe. LIVIUS tradit inter precandum attrectaſſe Camillum Deam & invitaſſe: indè velle, & annuere, ac ſequi libentem reſpondiſſe ex adſtantibus nonnullos. Cæterùm hoc miraculum adſtruentibus & defendentibus fortuna magnoperè ſuffragatur Urbis, quæ ex parvo & humili exordio, ſine Numinis perpetuo ex multis & magnis ſignis præſentis favore, evadere ad eam gloriam & potentiam haudquaquam potuiſſet.

Idem

Idem Loc. cit. in Vita M. Marcelli Pag. mihi 303. & 304.

Itaque in Urbe quum exercitum Marcellus instruxisset, impedimenta statuit propè portas, vetuitque edicto Nolanis muros adire. Nusquàm arma ex Urbe apparebant, eaque re illexit Annibalem, ut ad Urbem, quasi essent illic omnia tumultus plena, minus composito agmine moveret. Ibi Marcellus proxima patefacta porta, uti præceperat, cum flore equitum in frontem irrumpens, confligit cum hostibus. Mox pedites ex altera porta cum clamore accurrunt. Et dùm opponit his partem copiarum Annibal, tertia reseratur porta, ex qua reliqui erumpunt, atque omni ex parte instant trepidantibus re inopinata, nec satis validè resistentibus iis quibuscum manus conseruerant, ob incursum posteriorum. Hic primum milites Annibalis ingenti pavore, multisque vulneribus ad castra usque impulsi, terga dederunt Romanis. Cecidisse dicuntur ampliùs quinque millia, ex Romanis non plus quingentis desiderati. LIVIUS non tantam affirmat victoriam fuisse, neque stragem tantam editam hostium, gloriam certè eximiam Marcello, ac Romanis ingentem ex calamitatibus fiduciam eam pugnam attulisse: quod in spem venirent non esse, quicum certabant, inexsuperabilem, neq; invictum hostem, sed etiam cladibus opportunum.

Idem Loc. proximè Cit. Pag. mihi 312.

Pòst Proconsule Cn. Fulvio in Apulia ab Annibale cum undecim tribunis militum cæso, atque exercitu etiam magna ex parte contrucidato, (M. Marcellus) per literas populum bono animo esse jussit, ire se jam in Annibalem, ut pellat eum ea regione. His recitatis literis, autor LIVIUS est, non solùm non allevatum luctum, sed cumulatum etiam fuisse timore.

Idem Loc. proximè allegato Pag. mihi 315. & 316.

Annibal cætera vilipendens, cæde nuntiata Marcelli, ipse confestim properat in tumulum. Corpus contemplanti, postquam diu & robur & speciem consideravit, nullum dictum excidit arrogantius, nec lætitiam vultu, ut alius fortassis acri & gravi sublato hoste, præ se tulit, sed ad insperatam mortem obstupescens, annulo ejus ablato, corpus eximiè ornatum & cultum honorificè cremavit. Reliquias in argenteam conditas urnam, injecta

jecta aurea corona, remisit ad filium. Quum autem in ferentes urnam Numidæ quidam delati molirentur eam auferre, repugnantibus illis vi eripuerunt, projeceruntque ossa. Quo nuntiato, ad adstantes Annibal, *Quàm nihil*, inquit, *potest fieri invito Deo!* Numidas indè supplicio affecit, neque ultrà deferendorum ossium vel colligendorum fuit ei cura, quod nimirùm fato quodam ita inconsultè cecidisset, & inhumatus jaceret Marcellus. Ita Cornelius Nepos & Valerius Maximus memoriæ prodidere: LIVIUS & Cæsar Augustus delatam ad filium urnam fuisse, & elatum magnifico funere, autores sunt. Monumentum extrà ea, quæ Romæ fuerunt, Marcelli gymnasium extitit Catanæ Siciliæ. Signa & tabulæ pictæ ex iis quæ detraxit Siracusis, in Samothracia in templo Deorum, quos Cabiros nominabant, posita, & in æde Minervæ Lindi. quo loco statuæ ejus (ut tradit Posidonius) hoc additum epigramma fuit:

Ingens hic patriæ lumen Romæ fuit, hospes,
Stemmate Marcellus Claudius ex nobili.
Terq; quaterq; fuit Consul, dum bella geruntur,
Atq; hostes acie sustulit innumeros.

Idem Loco præallegato Pag. mihi 317.

Jam Annibal terribilis hostis & durus urgebat Romanos, sicut utique Thebanos tùm Lacedæmonii. Verùm hos ad Tegyras & in Leuctris fusos fugatosque fuisse in confesso est à Pelopida: Annibalem Marcellus (ut Polybius autor est) ne semel quidem fudit, sed invictum apparet ad Scipionem usque permansisse. Nos LIVIO, Cæsari, Cornelio Nepoti, & inter Græcos Regi Jubæ credimus fusum fugatumque aliquot pugnis à Marcello Annibalis exercitum, sed parùm profecerunt illæ victoriæ ad summam.

Idem Loc. cit. in Vita M. Catonis Majoris. Pag. mihi 345. & 346.

Allegit (*M. Cato Major Censor*) in Senatum Collegam & amicum L. Valerium Flaccum. Senatu movit inter alios complures L. Quintium, qui septem annis antè Consul fuerat: & quod majoris momenti ei erat ad gloriam, T. Quintii, qui Philippum debellaverat, fratrem. Causam cur Senatorio loco eum moverit, hanc habuit. Puerum Lucius formosum scortum

perpe-

perpetuo habebat in contubernio suo, atque in expeditionibus suis tantum tribuebat ei honoris, tantumque ille apud eum poterat, quantum nemo summorum amicorum vel familiarium, qui circà eum erant. Quum jam Provinciam obtineret Proconsul, in convivio quodam puer juxtà eum, ut solebat, accubans inter cæteras blanditias, quibus per vinum facilè ducebat eum, tantoperè jactavit se amare eum, ut spectaculum (*inquit*) gladiatorum, quod nunquam spectavi antè, prætermiserim, ac currens perrexerim ad te, quamvis videre hominem avebam interfici. Lucius vicissim se venditans ei, Nihil, inquit, te torqueat hoc, ego facilè medebor. Indè unum ex damnatis rei capitalis attrahi in convivium, & lictorem cum securi præcepit accersiri. Tùm iterum ex scorto quæsivit, an videre istum vellet feriri securi: quum annuisset, imperavit præcidi homini caput. itaque plerique homines tradunt. Cicero quoque in Dialogo de Senectute, sic narrantem inducit Catonem. LIVIUS Gallum transfugam dicit illum fuisse, qui fuit interfectus: ac Lucium non per lictorem, sed sua ipsius manu hominem occidisse, eaque esse in Catonis Oratione scripta. Ejectum Senatu à Catone Lucium Titus frater iniquo animo ferens provocavit ad populum, postulavitque ut causam proferret Cato notæ, quo eam referente & exponente convivium illud, parabat inficias ire Lucius: Verùm quum Cato sponsione eum provocaret, detrectavit. Itaque meritò judicavit populus notatum. Posteà quum Ludi fierent in theatro, præterito Consularium cuneo, remotè indè consedit. Ac motus hinc misericordia populus, coëgit eum magno clamore transire: atque ita maculam ejus, quatenus fieri poterat, correxit lenivitque.

Idem Loc. cit. in Vita Titi Quintii Flaminii Pag. mihi 379.

Post has res in Græcia gestas & bellum Antiochi (*Titus Quintius Flaminius*) Censor est creatus. Est is summus magistratus & reipublicæ gerendæ quasi culmen. Collegam habuit Marcelli, qui consul quinquies fuit, filium. Senatu moverunt quatuor non admodùm illustres. Censuerunt omnes, qui cives se profitebantur, si ex ingenuis parentibus essent. Coacti id fuere à Tribuno plebis Terentio Leone, qui obtrectans optimatibus, populum ad id sciscendum induxit. Ex clarissimis suæ ætatis & summis in civitate viris, inter quos simultas erat, Scipione Africano & M. Catone, illum Principem Senatus legit ut optimum & Primum Virum: cum Catone

 suscepit

ſuſcepit inimicitias ex calamitate hujuscemodi: Frater T. Quintio erat L. Quintius Flaminius, neque cætera illius ingenium repræſentans, & in libidinibus per quàm fœdus & ſecuriſſimus decori. Huic conſuetudo erat cum puero, quem adamabat, eumque in expeditiones abducebat ſecum, ac dum adminiſtraret Provinciam, perpetuo in contubernio ſuo habebat. Is epulante Lucio aliquando, quum per laſciviam cavillaretur, adeò ait ſe ardenter amare eum, ut ſpectaculum gladiatorum reliquerit, quum nunquam hominem ſpectaſſet jugulari, obſequium in illum ſuum ſuæ voluptati anteferens. Lætus Lucius, Nihil, inquit, incommodi eſt: nam facilè ego cupiditati tuæ medebor. Mox unum ex damnatis attrahi ex carcere juſſit, accitoque lictori inter epulas imperavit ut eum obtruncaret. Valerius Antias non puero adamato indulſiſſe id Lucium, ſed mulieri autor eſt. T. LIVIUS in ipſius Catonis Oratione ſcriptum refert, Gallum transfugam cum liberis & conjuge ad fores ſtantem & introductum in convivium â Lucio in ſcorti gratiam propria manu occiſum. Cæterùm hoc â Catone veriſimile eſt exaggerandi cauſa in accuſatione dictum. At non fuiſſe transfugam, ſed vinctum illum, qui interfectus fuit, atque ex damnatis, cùm alii multi, tùm Cicero Orator in libro de Senectute, ubi ipſum inducit Catonem loquentem, narrat. Ea de cauſa in cenſura ſua Cato, quum Senatum recenſeret, Senatu movit Lucium Conſularem virum. Et per eum labes imponi fratri viſa eſt. Quapropter in concionem progreſſi ſordidati & lacrymantes æquum petere â populo exiſtimati ſunt, ut notam Cato & rationem expromeret, quamobrem illuſtri Familiæ tantam inuſſiſſet maculam. Nec Cato quicquam dubitavit, ſed proceſſit, ac conſiſtens cum Collega pro roſtris rogavit T. Quintium, ecquid convivium illud noſſet. Abnuente illo, quum id expoſuiſſet, ſponſione Lucium provocavit, ni vera narraſſet. Obmuteſcente Lucio, comprobavit populus notam Catonis, eumq; ex roſtris magnificè domum deduxit. At Titus calamitate fratris cruciatus, conſpiravit cum veteribus æmulis Catonis, omnesque illius locationes vectigalium, & operum publicorum redempturæque in Senatu obtinuit, ut inducerentur & reſcinderentur. Multas etiam & graves inſtruxit ei accuſationes: verùm haud ſcio quàm rectè atque ordine adverſus juſtum Magiſtratum & civem optimum, pro homine conjuncto quidem, ſed indigno & jure notato, inimicitiam ſuſceperit capitalem. Pòſt tamen quum Ludos

populus

populus in theatro ſpectaret, & conſideret Senatus de more loco honorato, conſpectus Lucius abjectè & demiſſè inter infimos ſedens, movit commiſerationem: neque eam ſpeciem plebs ſuſtinuit, ſed clamore juſſit ut tranſiret, quoad tranſiit ad recipientes ipſum apud ſe Conſulares.

Idem Loc. Proximè allegato Pag. mihi 380.

Annibal patria profugus apud Antiochum agebat. Qui quum poſt prælium in Phrygia commiſſum, cupidè pacem amplexus eſſet, poſt longam alteram fugam & errorem in Bithynia, tandem conſedit apud Pruſiam, nullo inſcio Romano, ſed omnibus eum propter inciſos nervos & ſenium, ſicut â fortuna abjectum, deſpicientibus. Quintius verò legibus aliis de cauſis ad Pruſiam â Senatu miſſus, quum Annibalem agentem illic vidiſſet, fremuit quod viveret, neq; Pruſiæ ipſum multum pro ſupplice & familiari oranti & obſecranti conceſſit. Oraculum autem (ut videtur) vetus de Annibalis exitu fuit. id ſic habet,

Libyſſa corpus Annibal teget tuum.

Hic verò Africam ſuſpicabatur, & ſepulturam Carthagine, quaſi vitam illic tranſacturus. Eſt autem locus Bithyniæ ſabuloſus juxtà mare, nec procul exiguus vicus, Libyſſa dicitur: ibi fortè agebat Annibal. Qui quod Pruſiæ ſemper ſuſpectam mollitiem haberet, & horreret Romanos, ſeptem exitibus ſubterraneis jam antê domum ex tabernaculo ſuo aperuerat, aliò aliis cuniculis, omnibus procul tamen occultè ſe efferentibus. Ut igitur præceptum Quintii accepit, tentavit per cuniculos fugam: verùm quum in cuſtodias regni incidiſſet, ſtatuit mortem ſibi ipſe conſciſcere. Nonnulli referunt pallio eum collum obvolviſſe, juſſisſeq; ſervo ut infixo clunibus genu validèq; impreſſo ſtringeret id, & contorqueret quoad eliſo ſpiritu necaſſet ſe. Alii eum Themiſtoclis & Midæ exemplo ſanguinem taurinum hauſiſſe. LIVIUS venenum tradit eum, quod penes ſe habebat, miſcuiſſe, ſumptoq; calice dixiſſe: Liberemus tandem diuturna cura Populum Romanum, quando mortem invidioſi ſenis expectare longum & grave cenſuit. Non memorabilem tamen feret victoriam Quintius, neq; majoribus dignam, qui Pyrrho armato hoſti & victori ſecretò per legatos imminens veneficium indicaverunt. Hoc modo periſſe Annibalem ferunt.

Idem. Loc. cit. in Vita Syllæ. Pag. mihi 455.

Ac reversus (*Sylla*) ad Urbem, Consul cum Q. Pompejo declaratur, annos jam quinquaginta natus, & nobilissimum conjugium contrahit Cæcilia ducta Metelli Pontificis Maximi filia. Ob quod cecinit multa in eum probrosè vulgus, multique ex primoribus inviderunt ei, indignum illa fœmina existimantes, (ut TITUS LIVIUS ait) quem consulatu judicaverant dignum. Non tamen unam duxit hanc uxorem. Primam habuit admodùm adolescens Iliam, quæ filiolam ei edidit, ab ea Æliam, Coeliam tertiam: quam ut infœcundam missam fecit, sed citra notam & probrum, additis & muneribus. Verùm, quod paucis diebus pòst Metellam duxit, apparuit eum immeritò illam causam in Coeliam prætendisse. At Metellam coluit omnibus in rebus constantissimè. Undè Populus Romanus quum revocare exules Marianos desideraret, renuente Sylla recurrit ad Metellam, eamque appellavit. In Athenienses quoque, quod Metellam ex muro perstringentes fuissent insectati convitiis, capta urbe consuluit durius.

Idem Loc. cit. in Vita Luculli. Pag. mihi 511.

Pedites (*ex exercitu Tigranis in pugna cum Lucullo*) cecidisse suprà centum millia perhibentur, equitum pauci planè effugisse. Ex Romano exercitu centum vulnerati, quinque desiderati. Hujus pugnæ Antiochus Philosophus in Commentario de Diis mentionem faciens, negat à sole visam parem. Strabo alius Philosophus in libris Historiarum ipsos Romanos commemorat puduisse, & semet ipsos derisisse, quod in ejuscemodi mancipia induissent arma. LIVIUS ait nunquam Romanos signa cum hostibus contulisse tanto numero inferiores. Neque enim vigesimam propemodùm partem, imò nec minorem æquarunt victores victorum. Romanorum verò peritissimi Duces, & diutissimè in bellis versati, Lucullum in eô celebrabant præcipuè, quod duos clarissimos & maximos Reges rationibus duabus pugnantissimis, celeritate & tarditate, superaverit. Siquidem Mithridatẽ tempore & mora florentem attrivit, Tigranem obtrivit accelerando, inter rarissima omnia Imperatorum exempla, cunctatione strenua & audacia ad securitatem usus.

Idem Loc. proximè allegato. Pag. mihi 513.

Lucullus, postquam Diis sacrificavit, quasi certus de victoria, exercitum tra-

traduxit. Duodecim cohortibus in fronte positis, reliquos, ne circumveniretur ab hostibus, in subsidiis collocavit. Multi enim & delecti equites stabant in hostium adversa acie, antè quorum signa sagittis ex equo utentes Mardi & Iberes hastati, quibus Tigranes præcipuè inter externos milites ut pugnacissimis fidebat. Nihil est ab illis tamen editum præclari. Paulisper cum equitatu Romano velitati non tulerunt impetum legionum: verùm hinc indè fuga divulsi, equitem ad insequendum traxere. simulatque hi dissipati sunt, provehentibus Tigranis equitibus, videns splendorem & multitudinem eorum Lucullus, subtimuit. Itaque equitem à consectandis hostibus revocat. Interim ipse satrapis cum præstantissimo quoque sibi oppositis occurrit primus: quos, antequam manum conferere possent, consternatos pepulit. Ex tribus Regibus, qui unà in hac acie fuerunt, fœdissimè fugit Ponticus Mithridates, qui ne clamorem quidem sustinuit Romanorum. Hi quum per longum spatium tota nocte hostium tergis inhærerent, non solùm trucidandis, verùm etiam capiendis, pecuniaque & præda agenda ferenda fatigati sunt. LIVIUS autor est priore prælio plures fuisse, in hoc nobiliores hostes captos & cæsos. Hinc erectus Lucullus & fiduciæ plenus, superiores regiones petere & domare statuit barbarum.

Idem Loc. cit. in Vita C. Cæsaris. Pag. mihi 730.

Victoriæ (*C. Cæsaris à Pompejo consecutæ*) multa prodigia fuere. Clarissimum traditur, quod Trallibus accidit. Erat in templo Victoriæ Cæsaris statua consecrata. Solum circumjectum cum sua sponte erat rigidum tùm duro lapide in superficie constratum. Indè referunt palmam ad statuæ ejus basim extitisse. Patavii C. Cornelius Auguralis scientiæ peritus, LIVII Historici civis & familiaris sub idem fortè tempus operam dabat auspicio. Hic primum (ut LIVIUS autor est) tempus prælii cognovit, præsentibusque geri ait nunc rem & prælium Duces committere. Ubi iterum aves inspexit advertitque signa, fanaticus exiliit clamans: Vincis Cæsar. Obstupescentibus illis qui aderant, detracta capiti Corona juravit non prius se repositurum eam, quàm artires esset ipsa astipulata. Hoc LIVIUS verum esse affirmat. Cæsar victoriæ ergò data Thessalorum genti immunitate, Pompejum insequutus est.

Idem Loc. proximè cit. Pag. mihi 737 & 738.

Deferentibus aliquando (*ad C. Cæsarem*) nonnullis Brutum, quum esset jam in manibus conjuratio, non præbuit aures: sed corpus manu tangens ad delatores ait: Hæc cutis expectat Brutum; significans imperio quidem ob virtutem Brutum dignum, sed imperii causa non futurum ingratum neque improbum. Qui verò mutationem desiderabant, & illum solum vel primum respiciebant, quum eum hac de re dubitarent appellare, noctu in tribunali & sella, qua Prætor jus dicebat, sparserunt libellos, in quibus multa continebantur hujuscemodi: Dormis Brute: &, non es Brutus. Quibus Cassius stimulatam nonnihil gloriam ejus sentiens, institit & acuit eum quàm antè acrius, quod esset privato quodam in Cæsarem odio incensus ex causis, quas in Vita Bruti recensuimus. Habebat etiam eum Cæsar suspectum, atque ad amicos dixit aliquando, Quid vobis videtur Cassius velle? mihi quidem non admodùm pallor ejus placet. Jam fama est Antonio & Dolobella apud eum delatis, quod res novas molirentur, nihil planè timere se hos respondisse eum pingues & comatos, sed Pallidos illos potius & macilentos; Cassium & Brutum designans. At non perindè improvisum videtur ut inevitabile fatum, quando tunc rara prodigia & spectra memorant apparuisse. Ac fulgores quidem cælestes & imagines nocturnas passim huc illuc discurrentes, avesque solitarias in forum delatas minus conveniat fortassè tanto in casu commemorare. At Strabo Philosophus tradit multos viros flammeos incurrere visos: militis servum ingentem flammam è manu emisisse, eamque visam conspicientibus ardere; ubi extincta est, nihil hominem mali habuisse. Ipsi Cæsari immolanti cor hostiæ non apparuisse, idque pro tetro ostento habitum. neque enim consistere naturaliter animal sine corde posse. Hoc idem passim audias commemorari, Aruspicem quendam eum præmonuisse, ut Idibus Martiis grave periculum caveret. qui dies quum illuxisset, progrediensque ad Senatum salutasset Cæsar Aruspicem, ac ludens dixisset, Atqui Idus Martiæ adsunt: respondisse ei Aruspicem submissè, Adsunt verò, non præterierunt tamen. Pridiè quum apud M. Lepidum coenaret, subscribebat fortè epistolis, ut solebat recumbens. Ibi sermone moto, quænam mors optima foret, omnes antevertens exclamavit, Inopinata. Indè apud uxorem more suo quum cubaret, omnibus cubiculi januis pariterque fenestris patefactis, exterritus est simul strepitu & lumine, Calpurniamque splendente luna

adver-

advertit artè sopitam voces obscuras suspiriaque edere indiscreta. Imaginabatur illa lugere se eum, quem in gremio teneret confossum. Eam visionem aliinegant ei oblatam. sed quum Cæsaris ædibus esset ex Senatusconsulto adjunctum, (ut autor est LIVIUS) velut ad ornamentum & amplitudinem, pinnaculum, id per quietem imaginata collabi Calpurnia, videbatur sibi ideò lamentari & lacrymari: ac quum lux appetisset, rogavit Cæsarem, si qua fieri posset, ne prodiret, sed in aliud tempus rejiceret Senatum. Quod si omnia sua flocci penderet, at Aruspices hostiasque consuleret de impendentibus. Undè fuit aliqua illi quoque, ut videtur, oblata suspicio & metus. quippè superstitionem nullam animadverterat antè muliebrem in ea, quam tùm videbat anxiam. Ut verò multis jam cæsis hostiis renunciaveruut ei Aruspices litari non posse, statuit misso Antonio Senatum dimittere. Intereà Decius Brutus, Albinus cognomento, (quem Cæsar ob fidem, quam ei habebat, in secundis hæredibus scripserat, quum conjurationis alterius Bruti & Cassii consors esset,) veritus, ne si diem illum exemisset Cæsar, res efferretur, irrisit Aruspices, Cæsaremque castigavit, quod criminum materiam & calumniarum præberet adversus se Patribus, qui ludibrio viderentur haberi. Convenisse ex ipsius edicto Senatum, libentemque omnia decreturum, ut provinciarum extrà Italiam Rex diceretur, omnibusque locis aliis terra marique diadema ferret. Quibus si quis confidentibus dicat, in præsentia ut discedant, redeantque ubi nacta fuerit Calpurnia lætiora somnia: quales futuri sint apud invidos sermones, aut quis laturus amicos ejus demonstrantes non esse hanc servitutem & tyrannidem? Qvod si diem hunc omninò, inquit, abominaris, satius est teipsum in Senatum venire, Patribusque appellatis rem in aliud tempus rejicere. Sic fatus Brutus simul Cæsarem manu prehendit eduxitque.

Plutarch. Chæronens. Oper. Tom. II. Quæstion. Romanar. XXV. Pag. mihi 269.

Cur Diebus Postridie Kalendarum, Nonarum, atque Eiduum exire Urbe aut peregrinari non licet? An id fit ea de causa quam plerique putant, & LIVIUS tradidit? Postridiè Idus Quinctiles, quas nunc Julias vocant, Tribuni militum legiones ad Aliam fluvium educentes, à Gallis pugna sunt victi, Urbemque amiserunt. Is dies cùm nefastus esset judicatus, superstitio

tio (ut solet) morem hunc amplificavit, eidemque religioni obnoxios fecit etiam dies postridie Kalendarum & Nonarum.

Notandum: *Quod etsi magna de* TITO LIVIO PLUTARCHUS *laudum præconia non faciat, nec verborum lenocinia usurpet; Sufficit quod* EUM *velati Historicum omni fide dignum toties alleget, Veritatemq; suorum Scriptorum* EJUSDEM *Auctoritate fulciat. Cùm itaq; tantam apud Scriptores antiquos* T. LIVIUS *promeruerit fidem, officio veri Historici omnimodè defunctus, ac omni laudum genere dignus æstimandus & celebrandus est.*

M. Valerius Martialis Epigrammatum Lib. XIV. Epigrammat. CLXVIII.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea non totum Bibliotheca capit.

Matthæus Raderus de Societ. JESU in Commentariis ad ejusdem M. Valerii Martialis Epigramma Citatum. Pag. mihi 970.

PELLIBUS EXIGUIS) Pelles vocat, credo, ut paginas & tabellas distinguat à continua pelle, & vero volumine. Omninò igitur descendo in eam sententiam, omnes Auctores, quos hoc loco in membranis describit, fuisse in formam nostrorum libellorum & enchiridiorum compositos. Laudat LIVIUM hoc disticho, & ab operis magnitudine, (Libros enim CXL. ut breviaria docent, composuit) & à stili granditate; sic enim expono illud: LIVIUS INGENS, ut Poeta simul utrunque respiciat.

MEA BIBLIOTHECA) Quam aut nullam habuit, aut tàm parvam, ut vix ipsum Poetam Martialem ceperit. Paullò aliter noster Pontanus *In Attic. Bellar. Tit. Var. Lection. cap. 28. pag.* 594. exponit Epigramma: Sensus, inquit, verus ac germanus hic est, nisi me fallit sententia: LIVIUM & præstantia Scriptionis seu lactea fandi copia (quam illi D. Hieronymus tribuit) & librorum multitudine Magnum. (quadraginta enim duos supra centum Historiæ Romanæ conscripsit, ut Carolum Sigonium in Castigationibus docere memini.) LIVIUM ergò isto modo, quo dixi, ingentem, ait exiguis pellibus, id est, membranaceis paginis, non ampla forma, in Bibliotheca, quam viderat, contine-

ri:

ri: quem ſua Bibliotheca, quanta quanta ſit, non capiat totum: quia videlicet non habebat totum, ſed partem duntaxat, puta unam vel alteram Decadem tantùm fortaſſè. Vides leporem in ambiguo. Sed quod dicit Pontanus à Martiale non totum poſſeſſum LIVIUM, & vocem *totum* illuc refert, valdè apud me dubium eſt; exiſtimo potius luſum eſſe in parvitate loci, quàm quod non totum habuerit; nondum enim erat amiſſus. Jocus eſt Poetæ. Livium à S. Gregorio combuſtum tradit S. Antoninus, & Jo. Heſſelius, quod in ſuperſtitionibus & Sacris Romanorum aſſiduè verſetur.

Flavius Vopiſcus Syracuſius in Hiſtor. Divi Aureliani Imperatoris Cap. 2. Pag. mihi 831.

Et quoniam ſermo nobis de Trebellio Pollione, qui à duobus Philippis usque ad Divum Claudium, & ejus fratrem Quintillum, Imperatores tàm claros quàm obſcuros memoriæ prodidit, in eodem vehiculo fuit, aſſerente Tiberiano quod Pollio multa incurioſè, multa breviter prodidiſſet: me contrà dicente, neminem Scriptorum, quantum ad Hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum: prodente quinetiam in quo LIVIUS, in quo Saluſtius, in quo Cornelius Tacitus, in quo deniq; Trogus manifeſtis teſtibus convincerentur: pedibus in ſententiam tranſitum faciens, ac manum porrigens jucundam præterea, Scribe (inquit) ut libet: ſecurus, quod velis dicas, habiturus mendaciorum comites, quos hiſtoricæ eloquentiæ miramur autores.

Notandum: *Quod* Flavius Vopiſcus *maximi nominis ac integræ fidei Hiſtoricos vellicet, & ſic mendacia ſua quaſi communi vitio obvolvere ſtudeat. Haud decet verò Veritatis Hiſtoricæ Cultores teſtibus convincere minari, ſed convictos demùm condemnare. Aſſentiri tamen videtur* Flavio Vopiſco Philip. Camerarius *Oper. Horar. Subciſivar. ſive Meditation. Hiſtoric. Cent.* 1. *cap.* 49. *pag. mihi* 220. & Bartholom. Keckermannus *in Commentar. de* Natura *& Proprietatibus Hiſtoriæ part.* 1. *cap.* 3. *theorem.* 5. *in* Explicat. *in Syſtem. Syſtemat. Tom.* 2. *pag. mihi* 1822. *col.* 2. *At magis mihi allubeſcit* M. Tullius Cicero *de Oratore Lib.* 2. *num.* 36. *Oper.* Ejuſd. *Tom.* 1. *pag. mihi* 140. *magno graviq; judicio ſcribens*: Hiſtoria verò teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis, qua

voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? *Et denuò* Idem Tullius *loc. cit. num. 51. pag. mihi* 142. *ait:* Age verò, inquit Antonius, qualis Oratoris, quanti hominis in dicendo putas esse Historiam scribere? Sicut Græci scripserunt, summi, inquit Catulus: sicut nostri, nihil opus est Oratore. Satis est non esse mendacem. Atqui ne nostros contemnas, inquit Antonius, Græci ipsi sic initiò scriptitarunt, ut noster Cato, ùt Pictor, ùt Piso. *Atq;* Idem Cicero *loc. alleg. num. 62. 63. & 64. pag. mihi* 143. *inquit:* Videtisne, quantum munus sit Oratoris Historia? haud scio, an flumine orationis, & varietate maximum. neque tamen eam reperio usquam separatim instructam Rhetorum præceptis. sita sunt enim antè oculos. Nam quis nescit, PRIMAM ESSE HISTORIÆ LEGEM, NE QUID FALSI DICERE AUDEAT? DEINDE NE QUID VERI NON AUDEAT? NE QUA SUSPICIO GRATIÆ SIT IN SCRIBENDO? NE QUA SIMULTATIS? Hæc scilicet fundamenta, nota sunt omnibus. Ipsa autem exædificatio, posita est in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis consilia primùm, deinde acta, posteà eventus exspectantur, & de consiliis significari quid scriptor probet, & in rebus gestis declarari non solùm quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo: & cùm de eventu dicatur, ut causæ explicentur omnes, vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solùm res gestæ, sed etiam, qui fama, ac nomine excellant, de cujusque vita, atque natura. Verborum autem ratio, & genus orationis, fusum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, sine hac judiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis prosequendum est. Harum tot, tantarumque rerum videtisne nulla esse præcepta, quæ in artibus Rhetorum repetiantur? In eodem silentio multa alia Oratorum officia jacuerunt, cohortationes, consolationes, præcepta, admonita, quæ tractanda sunt omnia disertissimè: sed locum suum in illis artibus, quæ traditæ sunt, habent nullum. Simile testimonium Veritatis Historiæ perhibet Polybius *Historiar. Lib. XII. Cap. V.* Romanæ *iste Historiæ Scriptor diligentissimus, accuratissimus & gravissimus*, judicante Joanne Rosino *Antiquit. Romanar. lib. 10. cap. 12. & 13.*

ΚΑΘΑΠΕΡ γὰρ ἐπὶ τῶν κανόνων κἂν ἐλάττων

ᾖ τῷ μήκει, κἂν τῷ πλάτει ταπεινότερος, μετέχῃ δὲ τῆς τοῦ κανόνος ἰδιότητος, κανόνα φησὶν εἶναι, καὶ δεῖν προσαγορεύειν οὕτως· ὅταν δὲ τῆς εὐθείας καὶ τῆς πρὸς ταύτην οἰκειότητος οὐκ ἐγγίζει, πάντα μᾶλλον δεῖν ἢ κανόνα καλεῖν· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῶν συγγραμμάτων, ὅσα μὲν ἂν ἢ κατὰ τὴν λέξιν, ἢ κατὰ τὸν χειρισμὸν, ἢ καὶ ἄλλοτι διαμαρτάνηται τῶν ἰδίων μερῶν, ἀντέχηται δὲ τῆς ἀληθείας, προσίεσθαι φησὶ τὸ τῆς ἱστορίας ὄνομα τὰς βίβλους· ὅταν δὲ ταύτης παραπέσῃ, μηκέτι καλεῖσθαι δεῖν ἱστορίαν. Ἐγὼ δὲ διότι μὲν ἡγεῖσθαι δεῖ τῶν τοιούτων συγγραμμάτων τὴν ἀλήθειαν, ὁμολογῶ. καὶ κατὰ τὴν πραγματείαν αὐτός που κέχρημαι λέγων οὕτως· ὅτι καθάπερ ἐμψύχου σώματος τῶν ὄψεων ἐξαιρεθεισῶν ἀχρειοῦται τὸ ὅλον, οὕτως ἐξ ἱστορίας ἐὰν ἄρῃς τὴν ἀλήθειαν, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς ἀνωφελὲς γίγνεται διήγημα. Δύο μὴν τρόπους φαμὲν εἶναι ψεύδους· ἕνα μὲν τὸν κατ᾽ ἄγνοιαν, ἕτερον δὲ τὸν κατὰ προαίρεσιν. καὶ τούτων δεῖν τοῖς μὲν κατ᾽ ἄγνοιαν παραπαίουσι τῆς ἀληθείας, διδόναι συγγνώμην· τοῖς δὲ κατὰ προαίρεσιν, ἀκαταλλάκτως ἔχειν. Hoc est: Ait Timæus: quemadmodum in regulis,

si qua brevior justo fuerit, aut latitudine minus alta quàm par erat, officio tamen Regulæ proprio fungatur, nihilo secius regulam esse, & appellari eo nomine debere: contrà, si à linea recta discedat, & regulæ proprietatem non servet, quidvis potius quàm regulam esse nominandam: ita planè etiam in Historiis rem habere. Nam si qua fuerit scripto, aut genere dictionis, aut dispositionis modo, aut ulla alia re vitiosa, quæ tamen VERITATEM ubique tueatur exactè; nihil vetat, inquit Timæus, quo minus etiam ac Scripti Libri, Historiæ nomine afficiantur. Qui si à vero aberraverint, non jam posse eam dici Historiam. Ego verò, fateor quidem præcipuam VERITATIS curam esse ducendam in ejusmodi scriptis. Qui etiam in hoc ipso meo opere his alicubi verbis sum usus: Ut animal luminibus ademptis prorsus inutile redditur; ita si VERITATEM ex Historia tollas, quod superest illius, narratio est nullius usus. Sed nos duplex esse mendacii genus dicimus: unum quod ab ignoratione veri proficiscitur, alterum quod à certo animi proposito mentiendi. Qui igitur per ignorationem à VERITATE aberrarent, his veniam esse dandam; qui voluntate & certo proposito, ab iis capitali odio esse diffidendum. Et hunc allegat, propugnat ac sequitur Gerardus Joannes Vossius *in Tractatu*, ARS HISTORICA, *dicto cap. IX. Pag. mihi* 47. Atque Justus Lipsius *in Notis ad Lib I. Cap. IX. Politicor. Verbis: Eadem ad Civilem hanc partem utilissima. Pag. mihi* 125. *Col.* 1. *scribit*: Non tamen omnis Historia, ne erres. Ut aurum non quævis terra gignit: sic nec hæc promiscua, Prudentiam Civilem. Quæ illa igitur? Ea, quæ tres has Notas habet: VERITATEM, EXPLANATIONEM, JUDICIUM. Id est, quæ legitima Historia est, & perfecta. Nec enim talem ego umquam censuero, cui trium horum aliquod deest. Prima Nota, VERITAS est. ut nempè res eventusque omnes puriter & ex fide narret, *nec quidquam (quò nimis ferè inclinant scribentium animi) haustum ex vano velit*, T. LIV. *lib.* 22. *cap.* 7. Olim & nunc rara virtus; & à qua non affectu solùm aut aspectu plerique abeunt, sed specie etiam virtutis. Nam fidem in Principem aut Statum censent, narrare aliquid non ex fide. Atqui hæc fundamentum operis est: Ἡ ἀλήθεια (ait in hac ipsa re Dionysius *in Præfat. Archæol.*) ἀρχὴ φρονήσεώς τε καὶ σοφίας: *&* *Veritas, principium Prudentiæ simul & Sapientiæ.* Ut animanti oculos si eruas, reliquum corpus inutile

inutile reddas: sic Historiam, si ab ea hoc lumen. In falsa & errante, quomodo non fallare semper & erres? talis firmiter numquam te diriget, aut tuas actiones. Nota altera EXPLANATIO est. ut rem scilicet non fideliter tantùm narret, sed disponat etiam atq; exponat. Quomodo, & quare, quidque gestum sit, addat: *ut non modò casus eventusq; rerum, sed ratio etiam causseq; noscantur.* Tacit. *Histor. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 1. Magna hæc laus, &, Polybio judice, *Histor. lib.* 3. *cap.* 31. ita necessaria, ut usum non habeat quæcumque eâ caret. Ἱστορίας γὰρ, inquit, ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸ καὶ Διὰ τί, καὶ Πῶς, καὶ Τίνος χάριν ἐπράχθη, καὶ τὸ πραχθὲν πότερα εὔλογον ἔσχε τὸ τέλος, τὸ καταλειπόμενον αὐτῆς, ἀγώνισμα μὲν, μάθημα δὲ οὐ γίγνεται: *ab Historia si quis auferat, Quare, Quomodo, Quo fine quidque sit actum, & an ex ratione satis ceciderit; quidquid in ea reliqui, id ludicrum magis erit, quàm doctrina.* At Nota tertia, JUDICIUM. ut discrimen lumenque rebus adhibeat: & hæc probet (sed breviter, & quasi aliud agens,) hæc damnet. *quod præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes sileantur; utq; pravis dictis factisq; ex posteritate & infamia metus sit.* C. Tacit. *Annal. lib.* 3. *cap.* 65. *num.* 1. O pulchra ista pars! & quæ actiones vitamque omnem format & dirigit, si à judicio tamen profecta directo. Nam pravus aliquis aut imperitus, frustrà illuc se dabit: & cum suo tamen irrisu magis, quàm nostrâ noxâ, quia vanitas statim apparet. Hæ sunt tres illæ Notæ; quas in quacumque Historia repperies, Veteri sive Nova, scito purum probumque esse illic aurum. Scrutare. Et tandem sententiam de Procacitate & Maledicentia sua ipsemet tulit, ac Palinodiam cecinit

Flavius Vopiscus Syracusius in Histor. Divi Probi Imperatoris Cap. 2. Pag. mihi 922. & 923.

Cn. Pompejum tribus fulgentem triumphis belli piratici, belli Sertoriani, belli Mithridatici, multarumque rerum gestarum Majestate sublimem, quis tandem nisi eum M. Tullius & T. LIVIUS in literas retulissent? P. Scipionem Africanum, imò Scipiones omnes, seu Lucios, seu Nasicas, nonne tenebræ possiderent ac tegerent, nisi commendatores eorum Historici nobiles

atque ignobiles extitiſſent? Longum eſt omnia perſequi quæ ad exemplum hujuscemodi etiam nobis tacentibus uſurpanda ſunt. Illud tantùm conteſtatum volo, me & rem ſcripſiſſe, quam ſi quis voluerit honeſtiùs, eloquio celſiore demonſtret. Et mihi quidem id animi fuit, non ut Salluſtios, LIVIOS, Tacitos, Trogos, atque omnes diſertisſimos imitarer viros in vita Principum & temporibus diſſerendis, ſed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum, Gargilium Martialem, Julium Capitolinum, Ælium Lampridium, cæterosque qui hæc & talia non tàm diſertè quàm verè memoriæ tradiderunt. Sum enim unus ex curioſis, quod infinita ſcire non poſſum, incendentibus vobis, qui quum multa ſciatis, ſcire multò plura cupitis. & ne diutiùs ea, quæ ad meum conſilium pertinent, loquar, magnum & præclarum Principem, & qualem Hiſtoria noſtra non novit, arripiam.

P. Papinius Statius Lib. IV. Sylv. VII. ad Maximum Junium. in Fine. Pag. mihi 123.

Sed tuas artes puer ante diſcat ;
Omne quis mundi ſenium remenſus,
Orſa Saluſti brevis, & Timavi
Reddis alumnum.

Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum Oper. Ejus Tom. III. Pag. mihi 5.

Ad TITUM LIVIUM, lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus, quosdam veniſſe Nobiles legimus; & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus ſeculis celebrandumque miraculum; ut tantam Urbem ingreſſi, aliud extra Urbem quærerent.

Sidonius Apollinaris Panegyr. Anthemii.

— — — Vel quicquid in ævum
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

Ma-

Magnus Aurelius Cassiodorus in Chronicis ad Theodericum Regem Gothorum & Italiæ: Operum Ejus omnium Pag. mihi 683. Colum. 2.

C. Cæsar VI. & M. Agrippa III. (His Coss.) Cæsar leges protulit, judices ordinavit, provincias disposuit, & ideo AUGUSTUS cognominatus est. Cujus temporibus floruerunt Virgilius, Horatius, & LIVIUS.

Idem in Fine Chronicôn ad Theodericum Regem Gothorum & Italiæ: Oper. Ejus Omnium Pag. mihi 702. Col. 2.

Igitur ut effusam Annorum seriem Auctorum testificatione digestam sub brevitatis compendio redigamus.

Ab Adam usque ad Diluvium, sicut ex Chronicis Eusebii, Hieronymi collegimus, Anni sunt ↀ ↀ CCXLII.

A Diluvio usque ad Ninum Assyriorum Regem Anni sunt DCCCXCIX.

A Nino usque ad Latinum Regem Anni sunt DCCCLII.

A Romulo usque ad Brutum & Tarquinium primos Consules Anni sunt CCXL.

A Bruto & Tarquinio usque ad Consulatum Vestrum, (*Theoderici Regis Gothorum & Italiæ*) sicut ex TITO LIVIO, & Aufidio Basso, & Paschali Virorum clarorum auctoritate firmata collegimus, Anni sunt ↀ XXXI.

Ac si totus ordo Sæculorum usque ad Consulatum Vestrum (*Theoderici Regis Gothorum & Italiæ*) colligitur, Anni sunt V ↀ DCCXXI.

Notandum: *Quod Errores Computationis M. Aurelii Cassiodori supra in Fastis Romanorum Livianis, sub Nominibus Chronologorum ipsum sequentium, refutati & correcti sint.*

Raphael Volaterranus Commentariorum Urbanorum Tom. II. Anthropologia dicto, Lib. XVI. Pag. mihi 381.

LIVIUS Historicus Patavinus natus est Anno ab Urbe Condita DCXCIIII. quo & M. Messala Orator. Excessit Paduæ Anno III. Imperii Tiberii, ætatis autem LXX. Hunc Cajus Princeps tanquàm verbosum insectabatur, Pollio verò tanquam Patavinitatem redolentem. Quintiliano ma-

magnoperè laudatur: Eumque Herodoto comparat, in concionibus præsertim, suadetque pueris ediscendum, ut Ciceronis imitatorem. Nam & ipse LIVIUS ad Filium scribit, ut Ciceronem imitetur, aut ei quàm maximè similem. Solet nasci quæstio inter eruditos: An Cicero si Historiam fuisset aggressus eum superasset: multosque habet uterque adsertores.

Blondus Flavius Forliviensis Italiæ Illustratæ Lib. I. *Regione Nona, videlicet Marchia Tarvisina. Pag. mihi* 381. *&* 382.

Timavus (*fluvius*) suprà Luciafusinam integer primum habet ad dexteram vicum Auriganum tabernis hospitatoriis frequentatum: ibique Timavum illabitur Tegola torrens, cui adjacet rus Peragum. Deinceps Timavo sinistrorsum adjacet Strata oppidulum: à quo sexto milliario fossa manufacta Paduam compendio navigatur. Eam Urbem Italiæ vetustissimam clarissimamque magis certum est Antenorem Troja profugum condidisse, quàm ut indigeat testimoniis: versibus enim, quos suprà posuimus, (*nempè Pag. mihi* 380.) sic addit Virgilius;

Hic tamen ille (*Antenor nempè*) Urbem Patavi sedesque locavit.

Et LIVIUS Patavinorum decus in Primo idem seriosè narrat. Cicero autem in Philippicis Patavinos dicit Romanis amicissimos fuisse: qui R. P. difficillimis temporibus pecunia & armis juverunt. Et Macrobius in Saturnalibus, ubi de Fide servorum tractat: innuit Patavinos fuisse perhumanos, qui cum servis clementissimè atque indulgentissimè se habuerunt: quandoquidem asserit Asinio Pollione Patavinos cogente ut tributa conferrent, & propterea Dominis latitantibus, neminem servorum fuisse inventum, qui libertate proposita Dominum proderet. Fuit autem postmodùm Padua per felicissima stantis R. P. tempora Romanorum Colonia non eo modo deducta, quo cæteræ deducebantur ductis novis populis in Coloniam: sed datum est Paduanis Jus Latii, ut in designandis Romæ Magistratibus ferendi suffragii jus haberent: quod à Q. Asconio Pediano in Expositionibus Orationum Ciceronis habetur: ea verò describenda Urbe si prolixiores erimus, sua nos dignitas excusabit. Nullam enim ædificiorum pulchritudine, præsertim publicorum, in Italia sibi similem esse tenemus. Sunt tamen nova quæcunque in ea nunc extant vel publica vel privata, quandoquidem ad Trigesi-

gesimum & Quadringentesimum Salutis Annum Athila Rex Hunnorum ferro ignique vastatam reliquit immunitam: & â Narsete Eunucho Ravennatibusque instauratam Anno â prima dirutione vix dum Centesimo Longobardi incensam penitùs desertarunt. Aucta verò est mirabili incremento per Caroli Magni & Filiorum Nepotumque Imperii tempora; nec aliquod posteà incommodum sub Germanis Imperatoribus accepit; quousque Federici primi Barbarossi temporibus Ecelinus de Romano, tyrannorum omnium qui unqvam fuerunt crudelissimus, ad Annum Salutis Trigesimum Septimum & Duodecies Centenum eam sibi subegit, qui præter commissas cædes alias proscriptionesqve propè innumeras Civium ea usus est, de qua in Verona diximus, crudelitate raró aliàs audita cædis per varia cruciatuum genera perpetratæ duodecim millium Patavinorum, quos Mantuanorum ingressurus fines sub militiæ prætextu obsides secum duxerat. Paulò tamen postquàm is tyrannus apud Soncinum interiit, Charrarienses sub Capitaneatus titulo rerum in Patavio potiti sunt, qui eam urbem annis paulò plus minus Centum per varias successiones possessam opulentiorem ornatioremque reddiderunt. Nam gentis Charrariæ opera majori ex parte excitata ornataque fuerunt moenia, quibus triplici circuitu Patavium communitur. Et licet eam per Urbem Timavus semper fuerit delapsus, quod LIVIUS in X. Lib. ostendit; multis tamen variisque fossis magno & ingenti opere manufactis aquæ circum urbem & per diversa agri loca ornamento urbi commodoque futuræ ab eisdem Charrariensibus sunt perductæ, quom arx in urbe munitissima, & conjunctum illi perductis brachiis palatium facilè in Italia primarium, superbique operis nonnulli in urbe pontes gentis ejusdem fuerint opera. Henricus autem Quartus Imp. Germanicus Cathedralem Patavii Ecclesiam, quæ extat, ædificavit: Prætoriumque, quo nullum in orbe pulchrius esse tenemus, quom esset casu crematum, speciosius Veneti construxerunt, ossaque T. LIVII conspicuo in ejus fastigio collocarunt. Insignis verò & cui rarissimæ sunt in Italia similes Beati Antonii Basilica â Patavinis sub Ro. Imperio semiliberis ædificata est. Parrochiales Ecclesias quadraginta, & Mendicantium quatuor loca magnifici certè operis Cives Patavinos diversis ædificasse temporibus constat. Est ea in urbe Justinæ Virginis Templum, amplissimæ cujus ædes mille in circuitu passus amplexæ aquis circumluuntur, quod in vetustæ ædis vestigio ædificatum fuisse hinc con-

constat, quod effodientes ubique pulcherrima inveniunt lithostrata: eodemque in loco T. LIVII Sepulchrum ætate nostra repertum fuisse conspeximus, ut credere liceat vetustum Jovis templum ibi fuisse, in quo ipse LIVIUS in X. narrat spolia de Cleonymi Lacedæmonii piratæ victoria Patavium reportata fuisse. Servat verò nunc idem Templum Justinæ ipsius Virginis, Lucæ Evangelistæ, Maximi & Felicitatis, Mathiæ Apostoli super quem sors cecidit, Prosdocimique Tutelaris Patavinorum Sancti corpora & reliquias. Areas Patavium publicas quinque habet, Nobilium scilicet, & Herbaticam, Frumentariam, Lignariam, Palearem. In ejus quoque Gymnasio omnium Italiæ celeberrimo ædes sunt amplissimæ, studentium, quibus opes sint tenuiores, auxilio deputatæ. Viros Patavium doctrina clarissimos genuit, T. LIVIUM: cujus Sepulchri priusquàm Romam accederet sibi & Filiis duobus Uxorique positi Saxum nuper vidimus Litteras haud quaquam elegantes inscriptum. T. LIVIUS CAI FILIUS SIBI & SUIS TITO LIVIO TITI FILIO PRISCO F. T. LIVIO. T. F. LONGO F. CASSIÆ SEXTIÆ PRIMÆ UXORI. Aliudque elegantiores majusculas marmore incisas, Sepulchrum etiam Patavii in Justinæ Virginis vestibulo extat Titulis ornatum: & Militiæ, cui ad Decus Utilitatemque fuit ascriptus: & Virtutis suæ, qui diffidentes Patavinos Cives in Patriam reversus ad Concordiam revocavit. VIVENS FECIT T. LIVIUS LIVIÆ T. F. QUARTÆ LEGIONIS ALIS CONCORDIALIS PATAVII SIBI ET SUIS OMNIBUS. Ratio autem quæ nos adduxit, ut futuram in minore viro vanam hujusmodi diversitatis Sepulchrorum curiositatem adhibuerimus, illa fuit, quod in primo Sepulchro omnes quos habuit Patavii degens Uxorem & Filios in Successionem annotavit. In altero autem omnibus dixit, qui Filia Romæ esset auctus, quæ Lucio Magio nupsit Oratori Romano: de quo Seneca Declamationum Octava (*Verùm in Editione mea: Controversiarum Lib.* 5. *in Proem.*) sic habet: *Non puto quomodo Lucius Magius gener* TITI LIVII *declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuit: quum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri efferrent.* Fuitque is Magnus Vir LIVIUS, *ad quem Nobiles ex ultimis Hispaniarum partibus venisse, & quos Romani Nominis Fama non moverat, ejus Hominis Famam perduxisse* Beatus Hieronymus ex Plinio sumptum scribit. Paulusque Jurisconsultus apud vetustissimos celebratus fuit Patavinus, &c.

Epi-

Epitaphium Blondi Flavii Forliviensis in Fine Operum Ejusdem Historicorum de Roma Triumphante, Roma instaurata, Italia Illustrata, ac ab inclinato Romanorum Imperio, adjectum; & quidem ultima Parte Pag. mihi 578.

Hic ſitus eſt Blondus, Priami cui forma, Catonis
Vita, TITI LIVII Fama Decusq; fuit:
Conjuncta eſt Sancto Conjunx pia Paula Marito,
Foeminei ſexus gloria, ut ille Virûm.

F. Leandro Alberti Bologneſe dell' Ordine de Predicatori in Deſcrittione di Tutta Italia, & ſpecialmente nella Marca Trivigiana Decima Settima Regione dell' Italia a Foglio 470. della Prima & Seconda Facciata della Carta.

Et coſi (*Padoua*) rimaſe ſotto detti Signori Venetianii: quali l'hanno in tal guiſa fortificata di mura, di fortiſſime Torri, & di caſe matte (come dicono) che hora par coſa ineſpugnabile, pur che ui ſiano dentro buoni difenſori con le neceſſarie munitioni. Onde uiue al preſente, pacificamente la madre ſotto la felice ombra della ſua figliuola. Imperò che (come dirò nella Deſcrittione di Vinegia) eſſa città di Vinegia, hebbe principio da queſta, & fu Colonia di Padoua, & coſi ella è ſua figliuola. E queſta città molto grande hauendo tre circuiti di mura intorno, cingendo le cupe foſſe d' acqua che ſi poſſono nauigare eſſendogli ſtato condotta detta acqua con grand' artificio della Brenta, da i Signori Carrareſi, tanto per fortezza d' eſſa, quanto per maggior ageuolezza a portare le robbe di luogo a luogo. Veggonſi etiandio molti ſontuoſi edificii quiui, tra i quali è la Rocca (che era molto forte, ſecondo quei tempi) & il Palagio, tutti eſſi edificii da i detti Carrareſi edificati con molti Ponti di pietra, fatti ſopra gli artificioſi canali per paſſare da luogo a luogo per la città. Come narra Biondo. Euui altreſi la chieſa maggiore, che ne' tempi antichi era in grand' iſtimatione. Et hora ſi uede il ſuperbo Tempio dedicato a S. Antonio d' Uliſbona Spagnuolo, dell'

dell'ordine de i Minori, oue honoratissimamente sono conseruate le sante ossa di quello in una bella sepoltura di marmo. Fu fatto tanto edificio da i cittadini ne i tempi della loro libertà, sotto il Romano Imperio. I quali etiandio edificarono in diversi tempi quaranta chiese parocchiali, con quattro Monasteri de' Mendicanti. Euui altresi il sontuoso Monasterio di S. Giustina, il cui territorio è d'un miglio, intorniato da una fossa, per la quale corrono l'acque. Eraui in questo luogo, secondo Biondo, la sepoltura di T. LIVIO, con il Tempio di Gioue, oue furono presentate le spoglie di Cleonimo Pirata, come disopra è narrato. Quiui habitano i Monachi Negri di S. Benedetto. Oue hanno fabricato tanto degno Monasterio, & hora fabricano una superbissima chiesa. Sono quiui honoreuolissimamente conservate le sacrate ossa di S. Luca Vangelista in una molto anticha sepoltura d'Alabastro con le reliquie di S. Massimo, e Prosdocimo, padrone di questa città, con quelle di S. Giustina figliuola di Vitiliano cittadino Padoano, battezata dell' antidetto S. Prosdocimo, e martirizata ne' tempi di Massimiano Imperatore. Vedesi altresi il palagio maggiore, oue dimora il Podestà, ristorato da' Signori Venetiani molto superbamente. Il quale primieramente fu fatto da Enrico Imperatore, & poi essendo abbruciato molto piu bello fu rifatto da' detti Signori, come si uede. Oue fecero ripporre in luogo alto, molto honoratamente l'ossa di T. LIVIO padre delle Romane Historie. Sono etiandio per la città altri assai magnifici, & uaghi edificii, che sarei molto lungo in descriuergli. Ritrouansi altresi cinque large piazze, cosi compartite. Ve n'è una per spasso & trastullo della Nobiltà, l'altra per vendere l'herbe, la terza oue si uende il frumento, nella quarta si portano le legna, e nell' ultima la paglia. Vi si ritrouano anco alquanti Collegii di poueri Studianti, per esserui lo studio generale, posto da Federico II. in dispreggio de' Bolognesi, per esser' eglino confederati col Pontefice Ro. come dimostra Sabellico nel 6. Lib. della nona Enneade, & le Croniche, & Historie di Bologna. E questa patria molto abbondante delle cose necessarie per il uiuer de i mortali, & ui è nobilissima aria. Sono i cittadini di grand' ingegno, & molto disposti alle lettere, & ad ogni essercitio di uirtù. Sono etiandio ciuili, & di costumi eleganti, di corpo ben disposti, & in tutte le sue opere politici. Hanno illustrato questa patria molti eccellenti huomini, tra i quali anticamente fu l'unico Historico T. LIVIO, del quale ne parla Martiale nel primo Lib. de gli Epigrammi cosi, Censetur

ſetur Apona LIVIO ſuo tellus. Scriſſe 140. Libri dell' Hiſtorie Romane, con tanta eleganza, & con tanto ingegno, che nè auanti, nè dopo lui ſi è ritrouato, non dico ſuperiore Scrittore, nè anche uguale. Queſto è quel LIVIO, la cui Fama traſſe a Roma alquanti letterati huomini dall' ultime parti della Gallia, e di Spagna per uederlo. Onde che quello non haueua fatto la grandezza di Roma nella maeſtà del Senato Romano, lo fece il nome, & fama della eloquenza di tant' huomo, come ſcriue S. Girolamo a Paolino. Vero è, che poſſono deplorare il gran danno, che ha dato la malignità de'tempi, con l' ignoranza de' Barbari, che tante uolte hanno rouinato l'Italia, hauendoci priuati della maggior parte di tanto teſoro. Conciosia coſa che di 140. Libri, com' ho detto, appena ne habbeamo 25. cioè la prima Deca dell' edification di Roma, la terza della ſeconda guerra Punica, la quarta della guerra Macedonica, ben che in queſta ne mancaſſe il terzo libro, che fu poſcia ritrouato gl' anni paſſati di là da i Monti ſenza principio, e cinque libri della quinta Deca. I quali furono dati alla luce queſt' anni paſſati per mercè di Eraſmo Roterodamo, ma in alcuni luoghi troncati, & manchi. Vero è, ch' egli daua ſperanza a i letterati di ritrouar tutti gli altri, che mancano, ma lui poi mancato, altra coſa de' detti libri non è ſtata fatta, nè etiandio ci è fama di douer fare. Sono ſtati alcuni, che hanno detto non eſſer detti cinque libri ſcritti da LIVIO, allegando alcune ſue ragioni. In vero ſe ben conſideraranno, & diligentemente gli eſamineranno, chiaramente conoſceranno quei riſplender da ogni parte di eloquenza, & di maeſtà LIVIANA, non ui mancando quei numeri, figure, & altre parti da LIVIO uſate ne gli altri libri, come affermano anche molti letterati huomini, & ben pratici nella LIVIANA Hiſtoria. Ritornando al detto LIVIO dice, Biondo hauer veduto la pietra del detto raſſettata per riporla ſopra la ſua ſepoltura auanti, che paſſaſſe a Roma, oue voleua eſſer ſepolto con la moglie, & con due figliuoli, nella quale coſi era ſcritto. T. LIVIUS CAI FI. ET SUIS TITO LIVIO TITI FILIO PRISCO. F. T. LIVIO T. F. LONGO F. CASSIAE SEXTIAE FRIAE PRIMAE UXORI. (*Verum* Guilielmus Kyriander Hoeningenus JC. *in Verſione Latina Deſcriptionis totius Italiæ hujus* Leandri Alberti Bononienſis *Pag. mihi* 742. *legit* : T. Livius. C. F. ſibi & ſuis T. Livio. T. F. Priſco. T. Livio. T. F. Longo. F. Caſſiæ Sex. F. Primæ Uxori.) Poſcia ſoggiunge detto Biondo hauer ueduto un ſepolcro nel ueſtibolo della Chieſa di S. Giuſtina ſcritto di belle, e miſurate lettere nel marmo, di tal tenore. VIVENS FECIT T. LIVIUS

LIVIAE T. F. QUARTAE LEGIONIS ALIS CONCORDIALIS PATAVII SIBI, ET SUIS OMNIBUS. (*At* Guilielmus Kyriander Hoeningenus JC. *in Versione Latina Descriptionis totius Italiæ hujus* Leandri Alberti Bononiensis *Pag. cit. legit*: VIVUS FECIT. T. Livius, Liviæ T. F. Quartæ Legionis Halys. Concordialis Patavi. sibi & suis OMNIBUS.) Et dice esser la cagione della varietà di questi Epitafii, & sepolchri per esser fatto da lui il primo innanzi che andasse a Roma, & per tanto ui scrisse la moglie, e i figliuoli, che allora haueua, ma poi ritornato da Roma, & essendogli nati altri figliuoli, & nipoti, & hauendo maritato una figliuola a Lutio Maggio Oratore Romano, fece poi questa seconda sepoltura per tutti i figliuoli, moglie, & nipoti. Diede etiandio gran nome a questa patria ne' tempi antichi Paolo Giureconsulto, che aiutò à riformar la Republica Romana ad Alessandro Imperatore. &c.

Petrus Apianus & Bartholomeus Amantius in Inscriptionibus Sacrosanctæ Vetustatis Totius ferè Orbis: & quidem inter Inscriptiones Italiæ Pag. mihi CXIIII.

Neapoli.

In Lapide Alio.

T. LIVII BRACHIUM QUOD ANT. PAN.
HORMITA A PATAVINIS IMPETRAVIT
JOAN. JOVIANUS PONTANUS MULT.
POST. ANN. HOC IN LOCO PONEND. CURAVIT.

Iidem Loc. Cit. Pag. mihi CCCXXXVI.

Patavii.

T. LIVIUS G. F. SIBI ET SUIS
T. LIVIO T. F. PRISCO F. T. LIVIO
T. F. LONGO. F. CASSIAE SEX.
FILIAE PRIMAE UXORI.

Iidem

Iidem Alleg. Loc. Pag. mihi CCCXXXIX.
Patavii.

T. L I V I U S
LIVIAE T. F.
Q U A R T A E L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI.
SIBI ET SUIS
OMNIBUS.

Iidem Loc. Eod. Pag. mihi CCCXLV.
Patavii.

OSSA T. LIVII PATAVINI UNIUS
OMNIUM MORTALIUM JUDICIO
DIGNI CUJUS PROPE INVICTO
CALAMO INVICTI PO. R. RES
GESTAE CONSCRIBERENTUR.

Joannes Jovianus Pontanus in Actio. Fol. mihi 134.
Pag. 1. *& Fol. Seqq.*

Licet autem in LIVIO, Salluſtioque, Hiſtoriæ Romanæ Principibus diverſa ſplendeſcant claritate, quæ Hiſtoria digna ſunt lumina, dicendique in altero majeſtas heroica penè quædam emineat, atque uterque fuerit Poeticæ admodùm ſtudioſus. Cùm ille Poeticis non ſolùm numeris Scripta ſua, verùm etiam integris quandoque exornet verſibus; hic Empedoclea in Latinum, ut Aratea Cicero converterit, neque Poeticis abhorreat à figuris. Tamen LIVIUS in plurimis Oratori ſimilior eſt: Salluſtius verò Hiſtoricis tantùm legibus ubique videtur addictus. Uterque tamen Opus ſuum Poeticis auſpicatus à numeris, ille à ſemiverſu dactylico, qui eſt: Facturuſne operæ pretium. hic verò alter ab integro hexametro, Jugurtina in Hiſtoria, quem tamen ita referſit ſpondeis, præterquam quarto in loco, ut vix agnoſcatur eſſe hexameter, gravitatem tamen illam ſpondaicam retinuit inquiens; Bellum ſcrip-

ſcripturus ſum, quod populus Romanus. quæ verba heroicum ſenarium, gravem quidem numeris, verbiſque maximè accommodatis conſtituunt. &c.

Idem Alleg. Loc. Fol. mihi 136. Pag. 1.

Quid quod hic idem LIVIUS quaſi gemmis quibusdam, nunc verbis omninò Poëticis, nunc figuris ac numeris inſignit Orationem, atque illuſtrat Hiſtoriam? &c.

Idem Dicto Loc. Fol. mihi 137. Pag. 2.

Verùm ſubtractis iis ſpondeis, & numeris commutatis, omnis illa generoſitas neſcio quomodo interit, deciditque Orationis ſupercilium. Atque his quidem numeris excellit in Hiſtoria LIVIUS, & tanquam inter alios exultat.

Idem Cit. in Loc. Fol. mihi 141. Pag. 2.

In brevi autem hoc, & appoſito dicendi genere, in repetendis Antiquitatibus, in revocandis memoriis, in deſcribendis locis, in referendis conſiliis, in enarrandis caſibus, in proeliis, victoriis, cladibus memorandis, extollendis præclaris facinoribus, accuſandis, ac deprimendis ignavis & perditis, judicio vetuſtatis, magnus & clarus exiſtit Salluſtius: nam celeritate facilè eſt Princeps. In concionibus verò, habendisque Orationibus non idem video eſſe omnium judicium, quaſi parum habita ratione perſonarum, hoc eſt, militum, populi, Senatus, ad quos orationes ipſæ habentur. Ad hæc & ſcrabroſior in illis judicatur, & conciſior in ſententiis, & contractus, ac nimium acutus apud quos minimè deceat. Quibus autem (quod de Eloquente ait Cicero, quod mirabilius & magnificentius quàm Diſertus, augebit atque ornabit quæ volet:) quibus inquam mirabilior ac magnificentior magis placet oratio, iis vitandum eſt dicendi genus inſolens, affectatum, tumidum, quibus ſcatet vitiis Marcellinus, quo in genere ſcribendi LIVIUS profectò regnat.

Idem Loc. Cit. Fol. mihi 142. Pag. 1.

Judicare his præſertim è locis planè poteſtis, in Salluſtio majus eſſe brevitatis ejus, de qua loquimur, ſtudium; in hoc altero (T. LIVIO nempe) rerum adjectis verbis augendarum. Illi curæ eſt propriè, ſimpliciterque expreſſa res; huic arceſſitum, atque extrinſecus allatum aliquid tanquam

quam excolendæ formæ. Et lenis & fluxu tantùm suo incitus placet Sallustio decursus; at LIVIO altior paulò, nec tàm aliquando sedatus, quàm plenus ac personans. Ille in id intendit, ut natura videatur duce loqui; hic ut naturæ bonis attulisse ex arte industriaque videri velit adminiculum. Utque alter ille virili & Senatorio incessu graditur, ac pro loco & sistit interdum gradum, & tanquàm prospectat longius, metiturque loca singula; Sic alter hic & gestit quandoque, & viribus suis lætus exultat, præfertque robur & artis, & ingenii.

Idem Loc. Alleg. Fol. mihi 143. *Pag.* 1. & 2.

Cuique etiam rei adhibendus est modus: cunctorum enim sensuum satietas mala, aurium verò multò molestissima. Fuit autem tantum virtutis hujus (*Celeritatis Brevitati conjunctæ*) in Sallustio studium, uti divinam illam appellare non dubitaverit Marcus Fabius; aliis tamen multis & magnis virtutibus LIVIUM assecutum, scilicet quod ad hanc ipsam aspirare minime potuerit. Neque tamen nos id aut sentimus, aut dicimus, quod eam ipse Sallustiano sequi more contenderit. Sunt enim & dicendi sua ferè cuique innata semina, sicuti & appetendi, studiorumque cæterorum. Est autem celeritas ipsa tùm grandium magnificatrix rerum, tùm sublevatrix humilium: eadem effusa colligit, collecta nunc graviter, nunc venustè pro materia digerit; quæ multa sunt, cogit in pauca; quæ rursus pauca, ornat, insignit, auget. Ac perindè ut manus ad agendum, pedes ad inambulandum, innitendumque multis pollent juncturis; sic & ipsa celeritas suis articulis indefessa, indefatigataque est. Atque ut pedes etiam ipsi ad ducendas quandoque serviunt choreas, manusque ad decorandam formam, præterquàm quod pedes nati sunt ipsi ad incessuum labores, atque ad ferendum onus corporis, manus verò ad robur, viresque exercendas. Sic ipsa quoque adjuvat, confertque celeritas ad comptum, ad hilaritatem, ad venustatem, ad varietatem denique comparandam, naturæ profectò ipsius narrantis appositissimum ministerium. Quæ LIVIUS dùm quærit, alia etiam via ingressus, atque profectus est. Cujus viri multæ profectò magnæque virtutes extitere, tùm exornandis atque adaugendis rebus, tùm etiam complectendis, ac variandis, ut nunquam illi aut res defuisse videantur, aut ipse rebus defuerit. Denique ut nullus pòst Marcum Tullium extitit, qui aures impleverit audientium in Foro, in Senatu, in Populo Orator, Actorque Causarum: Sic inventus nec dùm post LI-

VIUM est ullus, ex ore cujus in rebus bellicis terribilem dederit sonitum tuba, nec, ut vaticinor, ex alicujus ore datura est post multa etiam secula.

Idem Cit. Loc. Fol. mihi 144. Pag. 2. & Fol. 145. Pag. 1. ac 2. atque Fol. 146. Pag. 1.

Ipsis autem causis suscipiendi sive negotii, sive belli conjuncta sunt consilia, & hominum, qui agendum quippiam decernunt, Sententiæ, ac voluntates, quæ quod sæpenumero sunt diversæ, exponendæ eæ sunt â rerum Scriptore in partem utramque: ut cùm LIVIUS Hannonem alterius factionis Principem inducit inpugnantem Carthaginensis Senatus sententiam de bello inferendo Romanis, creandoque Annibale Duce. Quo fit, ut quandoque utriusque partis, diversorumque consiliorum Auctores ac Principes inducendi sint, altercatim differentes in Senatu; quô sententiæ ipsæ clariores appareant, illustreturque magis magisque Historia, & Lectores ipsi apertius doceantur de altercationum causis, consiliorumque ac sententiarum diversitate: quod servavit Sallustius, cùm & Cæsarem inducit, & Catonem sentientes in Senatu contraria.

Suscepto autem negotio aut bello explicando (nam res gestæ plerunque sunt bellicæ) duo statim conjuncta sunt, & penè dixerim agnata, descriptione suâ digna, belli Dux ipsius, atque Imperator, & vires atque opes Reipublicæ, si tùm ea Magistratibus regitur, aut Regis ipsius, ubi sub unius moderatione Urbs Regnumvè temperatur. Itaque & LIVIUS ingenium, institutionem, moresque describit Annibalis; & Jugurtæ Sallustius, ac Catilinæ. Principum quoque Senatus, & Civitatis mores qui sint, quæque instituta, aperienda fideliter, opes item, amicitiæ, societates. His accedit explicatio bellici apparatus tùm terrestris, tùm maritimi: Quales & quantæ utriusque partis copiæ: Armorum genera: Equitum ac peditum numerus, quæque alia his annexa sunt, atque â Scriptoribus minimè omittenda, ùt præsagia, auguria, vaticinia, oracula, visiones, sacrificia, transfugia denique, atque explorationes, legationes item, ac Legatorum mandáta, bellique ipsius indictio, atque indicendi modus ac ratio. Non præteriit Annibalis insomnium illud LIVIUS, quo vastitatem Italiæ denunciatam significat: Non Catilinæ epistolam Sallustius, aut Scipionis ad Masinissam: Non uterque aut Martii Vatis prædictionem Cannensi de calamitate alter, alter de imperio Corneliorum familiæ delendo in urbe Roma.

Post

Poſt verò ſuſceptas expeditiones, ac bellum jam indictum motumque, quo aperta magis magisque ſint quæ narrantur omnia, deſcribendæ ſunt regiones, loca, ſitus, qua ducendus exercitus, qua caſtra metanda, quibus aut campis, aut collibus bellum adminiſtretur. Ordo etiam ipſe ducandi aperiendus, ut cum legitur, triplici, aut quadrato agmine incedere exercitum: Fluminaquoque & montes, ſi qui ſunt, & illorum naturæ, & ſi quid in his dignum memoratu ac rarum. &c. *Et paulò pòſt:* Horum uterque (LIVIUS *& Salluſtius*) loca deſcribit inſidiarum gratia, aperitque & locorum aptitudinem, & Ducum conſilia, & quid uterque Imperator deſignaſſet animo. *Et mox:* Urbium quoque Origines, gentiumque primordia procul repetita, quæ ſint earum leges, qui mores, ſtudiaque, haud exiguam Hiſtoriæ dignitatem afferunt, & propter varietatem ipſam, & quod pervetuſta atque à memoria noſtra longius remota vehementer delectant.

Et paulò pòſt: Necubi verò plura, quàm bellicis in rebus accidunt improviſa, inſperata, non antè cogitata, præterque opinionem, atque conſilium, eaque ipſa plena nunc terroris, nunc ſpei, modò gaudii, modò triſtitiæ. Itaque caſuum fortuitorumque in his eventuum magna Scriptori ratio habenda eſt. Tempeſtatum quoque, famis, frigoris, æſtus, peſtilentiæ, periculorum in faciendo itinere, in conſerendis manibus. Item audaciæ, metus, temeritatis, ſuſpicionis, inſidiarum, falſorum rumorum, quæque alia inter gerendum, atque adminiſtrandum bellum ſive conſilio eveniunt hominum, ſive caſu. Ex his enim perſpicitur potiſſimùm, qualis fuerit Scriptoris diligentia, atque perpenſio. Attingenda etiam permulta, quæ nihil tamen ſuſceptam ad Hiſtoriam, verùm ut extrinſecus allata, novitate ſua pariunt & admirationem, & voluptatem, ſuntque condimentum quaſi quoddam, atque ùt peregrina vehementer afficiunt. ùt LIVIUS cùm belli Achaici adverſus Meſenen, particulam ſibi referendam aſſumit. &c. *Et mox:* Quem quidem locum ita executus eſt LIVIUS, ut & funus referat, & honores penè divinos in eum collatos dicat, & annum eum celebrem morte trium clariſſimorum Ducum Annibalis, Philopoemenis, Scipionis.

Idem. Loc. Eod. Fol. mihi 146. *Pag.* 1. & 2. *ac Fol.* 147. *Pag.* 1. & 2. *atque Fol.* 148. *Pag.* 1.

Jam verò cùm ſit homini data à natura Oratio magna cum excellentia

animalium cæterorum, ipſorumque hominum inter ipſos. Sitque Orationi propria vis movere animos, & quo velit flectere; nuncque pro re ac loco, à metu trahat ad fiduciam, à dolore ad lætitiam, ab otio ac mollitie ad laborem. Eademque fugientes retineat, irruentes impellat, dubitantes confirmet, hujus eſſe memor rerum geſtarum Scriptor cum primis debet. Itaque quoties res tulerit, Imperatores ipſos inducet, nunc confirmantes ſuos in periculis, nunc excitantes illos ad ea obeunda, aliàs exhortanteis, aliàs objurganteis, & modò præmia proponenteis, modò admonenteis infamiæ, turpitudinis, ſervitutis, mortis. Videntur enim ejusmodi allocutiones, quæ nunc ad multos, nunc ad ſingulos habentur, decorare Hiſtoriam, & quaſi animare eam. In quibus quoties res ipſa tulerit, nervos Orationis, atque ingenii ſui oſtendet rerum Scriptor. Nec ſolùm quæ dicta fuiſſe referuntur ab Imperatoribus, verùm etiam ea afferet quæ veriſimilia, quæque dicenda, tempus, periculum, reique ipſius natura poſtulare videatur. Uteturque in increpando acrimonia, in excitando vehementia, in ſedando lenitate, in impellendo contentione, in extollendis rebus propriis, adverſarii deprimendis, magnitudine, ac linguæ ſuæ acie, rerum ipſarum qualitates, ac Ducum maximè perſonas ſecutus. Magnificant autem Hiſtoriam Conciones potiſſimum rectæ illæ quidem, ubi Imperatores ipſi & loqui & agere introducuntur, ut quaſi geri res videatur. Adhiberi tamen debent ſuo & loco, & tempore, ſuumque ubique decorum retinendum. Illa verò trita ſunt, antè pugnam inſtruere aciem, indicare animorum habitum, nunc victoriæ nunc cladis præſagum: Militum vel ſtrenuè in acie, vel ignaviter facta, referre; Ducum ſolertiam, adhortationes, Conſilia, & ſi quid ſtrenuè manu ediderint, memorare; Hìc fortitudinis, prudentiæque, illic fortunæ, caſusque mentionem facere: A quo primùm cornu aut fuga coeperit, aut victoria, declarare. Poſt pugnam ac victoriam, cædes, captivorum numerum, vexilla capta, prædam, ſpolia, direptiones recenſere, præmia referre, commendare fortitudinem, accuſare ignaviam, miſerari humanos caſus, varietatem, ludumque fortunæ mirari, aut Deorum vel iras vel favorem, quæque alia vel eventus natura, vel ratio ipſa rerum laudanda aut vituperanda, jucundè aut ægrè accipienda, miſeranda, aut accuſanda docuerit, per ea evagari. Audite quæſo Salluſtium pòſt Catilinæ malè decertatam pugnam. &c. *Et paulò poſt;* Nec pigeat referre quæ à LIVIO dicuntur, poſt ſtragem ad Traſimenum ab Annibale editam. &c. *Tùm mox;* Et pòſt

pugnam

pugnam ad Trebiam factam, primò quid Annibal fecerit, refert. (LIVIUS.) &c. Deindè transit (LIVIUS) ad ea, quæ Romæ agitabantur pòst cladis nuntium. &c. *Et brevi post*: Quanta verò hac in parte Scriptores varietate sint usi, magis ut appareat, subdam tertium quoque è LIVIO locum. &c. *Tùm porrò*: Placuit locos hos duorum ex eloquentissimorum Scriptorum Historiis referre, ut intelligeretis, qua varietate sint usi rerum explicatores; pòst ejusmodi strages enarratas, quæ varietas perlectis etiam præliis aliis longè major apparebit. Eadem habenda est ratio in obsidionibus expugnationibusque. Oportet enim aperire prius naturam & loci, & civium, genus obsidionis, ac Machinarum: quid intra urbem paretur, quid geratur in castris edocere; dolos, artes, insidias, diurnos, nocturnosque labores, ruinas, instaurationes referre: quæque permulta & obsidentibus, & obsessis aut virtus contulit, aut fortuna ipsa, diligentiave, aut neglegentia partis alterius repentè, obtulit, objecitque, vel abstulit, eripuitque consultò. LIVIUS cùm Thaumatorum situm describeret, quam urbem Philippus obsidebat Rex, dùm nomen ipsum interpretari vult, locum illum Historiæ mirificè illustravit, inquiens: *Ubi ventum ad hanc urbem est, repentè velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut subjectos campos terminare oculis haud facilè queas, ab eo miraculo Thaumati appellati; nec altitudine solùm tuta urbs, sed quod saxo undiq; abscisso rupibus imposita est. Et mox*: Non exornavit modò Orationem, verùm etiam magnificavit res ipsas LIVIUS, cùm quasi repentè oblatam causam, ab ipso Libri illius initio exorsus est, his quidem verbis, atque his etiam verborum numeris. &c. *Et paulò post*: Tàm multa autem animadvertenda sunt ab Historicis, ut non reliquerit inexpressum LIVIUS inenarratumque Numidarum equitum, equorumque habitum, ac foedam speciem. *Nec longè post*: Hos locos ab eminentissimis viris sumptos afferre placuit, non ut auctoritatem ab iis dictis comparemus nostris; verùm ut præceptorum locum apud vos, quique hæc è vobis audierint, obtineant, utque diligentiores etiam multò quàm estis efficiamini explorandis locis aliis, iisque considerandis, quibus tùm LIVIUS, Sallustiusque præcipuè, tùm alii rerum Scriptores Historias suas & locupletarunt abundè, & insigniter etiam decorarunt. Jam verò post expugnationes direptio & cædes ipsa campum præbet quàm latissimum edisserendi, quæ libido, ira, superbia, crudelitas, dolor, avaritia suadet victoribus, quæque perpetienda victis atque expugnatis. Quæ quidem ipsa clariora sunt, quàm ut exemplis sint illustranda. Hi tamen loci præcipuè

& Scriptoris ingenium, quantum valeat ad movendos indicant animos, & quæ ſit in eo augendi, atque magnificandi virtus, ac dicendi copia.

Idem Loc. Cit. Fol. mihi 148. *Pag.* 1. & 2.

Illud verò rerum Scriptori ſervandum maximè, atq; in tota rerum ſerie, ut pro locis, rebus, occaſionibus, judicis ipſe perſonam induat, ut laudet, condemnet, admiretur, deprimat, miſereatur, nunc rideat humanos caſus nunc deploret, demùm meminerit, demonſtrativo in dicendi genere ſe verſari, ac tùm laudandi, tùm vituperandi onus à ſe eſſe ſuſceptum. Salluſtius in explicandis Catilinæ perverſis conſiliis, atque conjurationis apparatibus, quaſi dolore victus prorupit in hæc verba: &c. *Tùm Paulò pòſt*: Et LIVIUS in explicando ad Capuam militum Annibalis languore ac deſidia, &c. Item pòſt eruptionem ad Nolam à Marcello factam. &c. Et alibi &c. Ejusmodi autem exempla affatim multa extant, quæ ſequenda ſunt rerum geſtarum Scriptori, ſua cum maxima laude & Hiſtoriæ dignitate. His itaque ſervandis non laudatorem modò ſe nobilium nunc facinorum, præclariſſimarumque actionum, nunc reprehenſorem turpium abjectorumque oſtendet egregius rerum geſtarum expoſitor; verùm etiam virtutis ipſius patronum, admonitoremque ſapientiæ præ ſe feret, & quaſi magiſtrum: quando Hiſtoria ipſa vitæ eſt hominum, ac rerum humanarum magiſtra: Idem LIVIUS, de Annibale Italia excedente ſic loquitur. &c. Hic igitur præcipuè locus, admonere rerum Scriptores poteſt, qua animi penſione uti debeant, quodque adhibere judicium ac curam non in enarrandis modò rebus ipſis quæ geſtæ ſint, ſed illis etiam innuendis effingendisque, quæ concipi cogitatione, & colligi conjectura poſſunt, pro rebus, negotiis, temporibus, perſonis, quæ ſingula velle complecti, nec conſeſſus eſt hujus, & videtur eſſe ſatis admonuiſſe. Cùm præſertim ſit oſtenſum, Hiſtoriam Poeticæ maximè eſſe ſimilem, ipſa verò Poetica Naturam potiſſimum imitetur.

Idem Loc. Eod. Fol. mihi 149. *Pag.* 1. & 2.

Illud igitur videndum eſt, primùm ut ea (verba videlicet) ſint propria, accommodata, delecta, uſitata bonis ab Auctoribus, pro loco, ac re ſumpta, quanquam interdum pro rei magnitudine, à Poetis quoque mutuanda ea ſunt: quod frequentiſſimè omnium ſervavit LIVIUS, & Cicero ait: Poetam Oratori eſſe finitimum. Deindè ut ea benè ſint opportunèque collocata, ipſa-

ipſaque ut collocatio ſit artificioſa, varia, multiplex, numeroſa, habeatq; rationem non æquabilis ſolùm, ſibique conſentientis texturæ, verùm etiam decurſus ac ſoni: Qua quidem de re aures ſunt potiſſimùm conſulendæ. Ad hæc ſumma ea cura expolienda, exornandaque, ut nec forma ornatu careat extrinſeco, nec ornatus appareat, aut negligenter adhibitus, aut alienus à forma, retineatque tum venuſtatem, dignitatemque pro re, ac loco; tùm etiam gravitatem, ac ſupercilium. Quarum rerum omnium Cicero optimum ſe nobis magiſtrum exhibebit. Uſuvenit autem in componenda Hiſtoria, quod in ædificandis tùm domibus, tùm navibus, multas ſubindè fieri rerum commiſſuras, & quaſi membrorum inter ſe conjunctiones, quas prudentia, ordinisque ſolers ac circumſpecta ratio moderetur oportet, quæque & ipſa locorum quoque, ac temporum rationem habeat, ut pòſt narratas explicatè diligenterque res alias, transgrediatur ad alias. Indeque poſtquam parti huic ſatisfecerit, ad continuandam regrediatur priorem materiam; rurſùm eâ, quantum ſatis erit, explanatâ, reditum ad alteram illam faciat; aut ſi rei ratio tulerit, ad aliam, moxque ad aliam: ut cùm LIVIUS, pòſt deſcenſum ex alpibus Annibalis, pòſtque prælium cum Scipione factum, proditumque Claſtidium, ſubjungit rem navalem, inquiens: *Interim circa Siciliam, inſulasq; Italiæ imminentes viginti quinqueremes cum mille armatis ad depopulandam oram Italiæ à Carthaginenſibus miſſæ, novem Liparas, octo inſulam Vulcani tenuerunt, tres in fretum avertit æſtus maris.* Deindè revertitur ad res ab Annibale geſtas, pòſtque Placentinam pugnam tranſit in Hiſpaniam. *Dum hæc in Italia geruntur, Cn. Scipio in Hiſpaniam cum claſſe miſſus.* Hæ igitur ſive commiſſuræ, ſive diverſarum in Hiſtoria rerum inter ſe connexiones ejusmodi eſſe debent, ut partes, quæ hinc atque illinc explicandæ ſubjunguntur, ſint per ſe integræ, claræ, minimè perplexæ, atque ab ipſo quàm primùm initio appareant eſſe aliæ: quod præſtabunt verba primo loco, & ipſis quaſi in foribus poſita, qualia ſunt: *Interim*; &, *Dùm hæc geruntur*; &, *Per id tempus*; quæque & Salluſtius, & LIVIUS, & cæteri omnes uſurpant. Itaque committendis, atque ſubnectendis his, primum omnium id videndum, ut diverſitas materiæ confeſtim eluceſcat, intellegaturque quaſi membrum quoddam corporis ab alio membro diverſum, ac nihilominus ut membra noſtri corporis nervis complicantur; ſic partes hæ verbis quàm maximè aptis, nervorumque præſtantibus officium, aptè inter ſe prudenterque jungantur. Quocircà ad ingenium, atque à natura tributa dicendi dona, adjungenda eſt Lectio optimi

cujusque

cujusq; ex Græcorum ac Latinorum Auctoribus, quæque in illis cernuntur, apparentq; eminentissima, ad ea tanquam ad metam dirigenda est omnis Scriptorum opera & cura, ut similes, ut pares, si superare illos minus valuerint, aut imitatores saltem boni ut evadant, laudemque si non primi, aut secundi loci, aliquam quoque & ipsi certam propriamque ac studiis suis dignam consequantur.

Idem Loc. Alleg. Fol. mihi 150. *Pag.* 1. *&* 2.

Itaq; ut pauca quædam in hoc quoque genere scribendi (*Vitas nimirum Magnorum Virorum*) tradamus, quod ipsum Demonstrativum est genus, (nam qui Vitam alicujus scribit, in Locos nunc laudis, nunc vituperationis incidit, cujus rei monitum fecisse eum satis est) tria cum primis servanda censemus, ut Scriptio ipsa sit brevis, sit diligens, atque etiam gravis, adde si placet & quartum, ut sit ea quàm maximè quoque elegans. Brevitas autem erit talis ut rerum summas paucis complectatur. Diligentia tanta, ut nihil omittat, quod judicetur memoratu dignum. Gravitas item ea, quæ addat explicationi ac dictis pondus, quæque & auctorem rerum & Scriptorem commendet. Nam præter Veritatem nihil potest esse commendabile. Quid obsecro tàm est adversum, quàm vanitas Historiæ? quæ vitæ magistra esse dicitur. Elegantiam iccircò dicendi maximam hac præsertim in parte exigimus, quod hæc ipsa scribendi pars permultis sit aliis laudibus ac virtutibus caritura. Itaque compensetur utique Elegantia, quod deerit de cultu, cæteroque splendore. Cujus rei Cæsar gravissimus esse potest & testis & monitor: De cujus Commentariis etsi multa in exemplum adduci à nobis poterant, tamen scribendi genus Historicum ex omni parte minimè complexus est Cæsar; quippè qui materiam & præbere, & relinquere maluerit aliis de se scribendi. Et qui Pictor, aut Statuarius imaginem facturus est, quæ totius referat corporis pulchritudinem, nimirùm pulcherrimi cujusque viri speciem sibi in exemplum assumit, non ejus qui parte tantùm præcellat aliqua, sed qui omnibus. Nam quanquam & Tacitus, & Curtius abundè sunt laudibus ac virtutibus ornati suis; Laus tamen omnis Latinæ Historiæ penes duos putatur existere, diversoque in dicendi genere, LIVIUM ac Sallustium. Ad hæc iniquitas temporum Trogum nobis omninò abstulit, & Curtium, ac Tacitum, quasi mutilatas videmus statuas; licetque suspicari potius ac conjicere, quàm omninò de iis judicium aliquod absolutum ac cer-

tum

tum tradere. Quid quod noster paulò antè Actius uno fuit ubiqve ferè contentus Virgilio? videlicet quod ab optimo quoque suo in genere quærenda est semper auctoritas.

Lodovicus Cælius Rhodiginus Antiquar. Lection. Lib. VI. Cap. VII. Pag. mihi 260.

Sed enim quia de Suppliciis copiosius agere collibuit, fraudi non erit, opinor, Si ad Lacteos T. LIVII fontes diverterimus, vitiatis, interpellatisque Codicibus laturi opem pro virili. In primo siquidem Ab U. C. sic fermè scriptum reperias; Lex horrendi criminis erat, Duumviri perduellionem judicent. Quam lectionem sciolis, ac malè feriatis plerisque, quorum minus intercutanea eruditio superficiaria modò rimatur ac discutit, plausibilem visum iri, non ambigo. Arridet enim pullato circulo demùm, quod obvium, quodque, ut dicitur, ex trivio est. Atqui pensiculatius expendenti loco verbi, Criminis, reponendum videbitur Carminis. quod resipit vetustatem, & eruditionem habet classicam. Legum siquidem dicebantur Carmina, non Crimina. Quod ut constet, ad anchoras recurrendum, hoc est, Veterum auctoritas advocanda, quâ maximè adversus pervicaces stemus.

Et Ibidem paulò pòst Pag. mihi 261. Sed & T. LIVIUS, Ab U. C. Libro XXXIX. Concione advocata, solenne Carmen precationis fari, priusquàm populum alloquantur, Magistratus solere, auctor est. Sed & Libro primo, sua item Carmina Albani, suumque jusjurandum per suum Dictatorem, suosque Sacerdotes peregerunt. Et paulò antè: Quæ longo effata Carmine non operæ est referre.

Idem Loc. allegato Lib. VII. Cap. VII. Pag. mihi 317.

Porrò T. LIVIUS refert, eundem, (*Valerium Publicolam*) cùm prodiisset in Concionem, fasces summisisse populo, quod ipsum Oratoriarum Institutionum Tertio Quintilianus repetit. Ex quo elegans prorepsit adagium, ut cùm manum damus, & herbam quodammodò porrigimus, vincique nos planè fatemur, Summittere fasces dicamur.

Et Ibidem paulò post: Quod si quis ambigat, quid omninò sit, Fasces summitte-

mittere: Ipſe ita interpretor, non ſurrectos tenere, ut ſolebant prius Lictores, ut viſendos eos præberent, oſtentarentque ad terrorem increſcentis audaciæ; ſed deprimere, & antè pedes quodammodò dejicere. Significant id verba LIVII ſequentia: Gratum id, inquit, multitudini ſpectaculum fuit, Summiſſa ſibi eſſe Imperii inſignia, confeſſionemque factam, Populi quàm Conſulis Majeſtatem vimque Majorem eſſe.

Idem Loc. Cit. Lib. VII. Cap. XI. Pag. mihi 321.

Enarrabamus nuper T. LIVII Summi Hiſtorici Librum Ab U.C. ſecundum, incidimusque in eum locum, qui eſt de Valerio Publicola: Antè omnes, inquit, de Provocatione Legem tulit adverſus Magiſtratus, ad Populum, ſacrandoque cum bonis Capite ejus, qui Regni occupandi conſilia iniiſſet. Scrutabamur, quid eſſet, Sacrare cum bonis Caput. Si enim eruditiorem ſenſum ex recondita Hiſtoria proruendum non putes, frigidior Platonis Legibus fiet Eminentiſſimi Auctoris ſententia. Quis enim Conſecrationis metu à Regni affectatione deterreatur? Aliud ergò ſcitius, doctiusque quærendum.

Et Ibidem paulò pòſt: Quod ſi curioſior aliquis, & amplius introſpiciendam, excutiendamq; putet hiſtoriam hanc, & noſſe cupiat: Quid ita, Diis dicatos occidendi, cujuslibet Pontificium foret: Id utique ex Dionyſio perlici nequit. Nos autem ita obſervavimus. Cætera quidem Sacra violari fuiſſe nefas: Hominem verò Sacrum occidere fas. Ejus ratio hæc. Veteribus is erat Deorum metus & obſervantia, Ut illis Sacrum dicatumque animal prorſus in ſuis finibus eſſe haud paterentur; ſed ad Deorum abigerent loca, quibus id Sacrum foret. Animas verò hujusmodi Sacratorum Hominum, quos *Ζάνας* Græci vocant, Diis debitas omninò exiſtimabant. Sed eas in cælum mitti à ſe poſſe, & ad Deos, ad quos jam pertinerent, alia ratione nulla videbant, niſi corpore viduatas. Igitur primo quoque tempore ut irent, Ejusmodi hominem interficiendi cuilibet erat arbitrium. Morem hunc vetuſtatis prudentisſimus Maro expreſſit in Haleſo, de quo poulò mox oppetituro ita ſcribit:

Injecere manum Parcæ, teliſque ſacrarunt
Evandri — — — —

In quo item Divini Humanique Juris proprietatem eſſe executum, adnotavit

vit Macrobius. Quippè ex manus injectione mancipium designavit: Et Sacrationis vocabulo Divini Juris observantiam implevit. Ritum prætereà hunc Sacratarum Legum nomen insinuat: Quas indè nuncupatas Pompejo Festo credimus, quod si quis adversus eas fecisset, Sacer alicui Deorum esset cum familia pecuniaque. Sacratæ Legis mentio est apud T LIVIUM in Tribunorum creatione Libro secundo. Sed IDEM Libro quarto, Legem Sacratam apud Volscos & Æquos vim fuisse maximam scribit cogendæ militiæ. MEMINIT & nono Libro.

Idem. Loc. Cit. Lib. X. Cap. LXVIII. Pag. mihi 532.

Hisce verò fulti Auctoritatibus, Quîs calculum adjicit Græcorum Schola universa, commonemur, ut T. LIVII Codices temporum injuria decurtatos, & Librariorum inscitia maculosos extergamus, & genuino restituamus candori. Ita enim Libro trigesimo quinto Ab U. C. scriptum passim lectitatur: *Ætoli circa Chalciotem, Minervæ id est templum æreum, congregati cæduntur.* Reponendum censeo, Chalcioecum; expungendum, Chalciotem.

Idem Loc. allegato Lib. XIII. Cap. XXXIII. Pag. mihi 694.

Ejusdem (*M. Tullii Ciceronis*) tamen illud est: In Historia nihil esse pura & illustri Brevitate dulcius. Alioqui & amplitudo illa PATAVINI HISTORICI lactea, & redundans, itaque legentem sæpè afficiens, ut stupore quodam adobruat penè, alere longè pinguius ingenia mihi videtur. Adeò ut, Sicuti in Pictores ille ait, qui nescirent, Manum de tabula; Oculos à lectione revellere nequeas. Ita dicendo adumbrantur omnia, & exprimuntur graphicè. Ubertas illa prædulcis; & austera tamen, nec decocta; Nitida sine labore, ut de Theophrasto Seneca scribit, efflorescens quoque, nec affusa nectare modò; sed quodam Circes, quam Deam intelligi voluit Literarum Princeps Homerus, delibuta veneficio est. Abire cupis, retinet blandis amoribus inenarrabilis facundiæ vastitas, quæ tamen vasta non est; sed compta honestius, culta pretiosius, expolita divinitus, nusquam fucus puerilis, aut pigmenta inania, nusquam vibratior cincinnus. Non ades, provocat prægustata amoenitas, Sirenum cantibus longè potentius; Quas surdus demùm Remex pertransisse narratur; Istam odore modò perceptam nec cæcus quidem

dem neglexisse possit. Jam quid de eruditione dicam? Quæ in eo uno adeò scaturit subindè, adeò exultat multifaria, adeò ingeniosissimum quenque aure benè vaporata, mox & acri perlota aceto, recondita rerum scientia lacessit, ut eo ipso anno, quo ista commentabamur, expressum Auditoribus meis sit, quibus opera illa Patavii præstabatur, quibusque haud quaquam foret cornea fibra, plus se ex uno in T. LIVIUM dictato referre emolumenti, quàm ex Salustii decem, quem succisivis diebus, hoc est, festis enarrabamus. Scripsit & DIALOGOS, ut sit aliquid Auctarii vice, quos non magis Philosophiæ adnumerare possis, quàm Historiæ. Concinnavit & ex professo PHILOSOPHIAM continentes LIBROS. Sed ista parùm fortè institutum juverint. Exciderat penè; Quod minus dissimulandum fuit. Putat in Arte Dionysius; Esse dictionem aliquam, cui mira insit dulcedinis ac jucunditatis vis; At pulchritudinis non ita: Rursumque, sæpè reperiri Orationem pulcherrimam, quæ tamen jucunditatem illam prædulcem desideret. Cujusmodi est Thucydidis Phrasis, & Rhamnusii Antiphontis. At in Ctesia Cnidio, & Socratico Xenophonte suavitatem illam sentiri quidem abundè, abesse tamen quadantenus pulchritudinis gratiam. At virtutem utramque insigniter in Herodoto enitescere. Hoc ipsum si quis, re exactiùs perpensa & excussa, de Salustio statuat, & T. LIVIO, Scopi umbilicum, puto, rectè collimans attigerit. Quod ad Salustium attinet; Id in eo præsigni admiratione dignum, nullum nisi loco positum ferè, ac tanquam in vermiculato emblemate, uti est apud Lucilium, conspici structum verbum. Sed enim Scriptorem egregium non nævo aliquo, aut crepundiis, quod ajunt, sed toto corpore inspectasse ac expendisse præstiterit. Scribit Seneca Controversiarum Quinto: Præcipuam esse quidem in Thucydide brevitatis virtutem, vinci tamen quandoque á Salustio, & in suis illum castris cædi; Quod in sententia græca sint, quæ salvo sensu detrahas; Quod in Salustio interdum nequeas. Quam rem T. inquit LIVIUS, ut qui Salustio esset iniquior, ut translatam corruptamque vitio vertebat, arbitratus posse á se facilius Salustium vinci; si á Thucydide victus foret prius. Alibi verò Seneca idem hoc PATAVINO HISTORICO testimonium reddidit, ut eum dicat Candidissimum maximi cujusque ingenii æstimatorem. In tàm multis verò, quæ de T. LIVIO attulimus, sciendum, in Epistola quadam ad Joannem Boccacium scripsisse Franciscum Petrarcham: Ignavia Legentium contigisse, uti LIVIANA HISTORIA sit in Decadas distributa. In eas enim, inquit,

Non ipse, qui scripsit, sed fastidiosa Legentium desidia divisit. Nec desunt, Qui calculum adjiciant. Me verò Decadibus præpositæ præfationes in diversum trahunt.

Jacobus Augustus Thuanus Historiar. Sui Tempor. Tomo I. Lib. I. Anno Salutis cIɔ Iɔ V. Pag. mihi 10.

Quid nunc jam expeditionem in Palæstinam sub Philippo I. susceptam commemorem? quid ejus Ducem Gotifridum Bononiensem, & Eustochium ac Balduinum Gotifridi fratres? quid Hugonem Comitem Parisiensem Philippi fratrem? quid Robertum Flandriæ Comitem, Balduinum Montensem, Stephanum Bloësensem, Raimondum Tolosæ Comitem, Robertum Normanniæ Ducem, & Boemundum Apuliæ exTancredorum familia, undè tot Reges in Syria, Cypro, Græcia? quid ipsam Constantinopolim Imperii Orientalis Caput, à Gallis Imperatoribus eo tempore tam diu possessam? omitto vicina, & bella cum Anglis gesta tàm dubio eventu, ut quod de Punicis dixit LIVIUS, plerumque propius periculo fuerit, qui vicerat.

Idem Loc. Cit. Tom. I. Lib. XXIII. Anno Salutis cIɔ Iɔ LIX. Pag. mihi 695.

Atqui jure prohibitum esse, ne qui ad pupilli tutelam admittantur, qui actiones contrà eum habeant: quod inter privatos legibus constitutum, multò magis in Regnorum Administratoribus locum habere, quippè in quibus majus periculum & ad plureis pertineat. nam ea specie translata plerumque regna. notam Tarquinii Prisci in Anci Marcii liberos perfidiam; nota Cleandri, & eorum ipsorum, qui jam memorati sunt, Rufini & Stiliconis perniciosa consilia contrà salutem Imperii defectionem molientium. Sed insigne Hieronymi Siciliæ Regis imprimis exemplum esse, quod à T. LIVIO proditur: ei siquidem XV. annos nato ab Hierone parente XIV. præcipuos ex amicis testamento attributos, qui cum Athenodoro patruo pupillare regnum administrarent: Athenodorum verò, qui eadem cognationis prærogativa, qua Guisiani tument, potentiam venditabat, jam nefas animo agitantem Hieronymo puero persuasisse, si Rex esse vellet, ut tutorum importunam turbam summoveret, & ipse per se regnum gereret: atque illum quidem inter adulatio-

lationes & in licentia enutritum, malè ſuadenti patruo facileis aureis præbuiſſe, & amotis pueritiæ ſuæ à benè conſulto patre datis moderatoribus ſe totum Athenodoro mancipaſſe, qui ex ea occaſione mox in ipſum conjuraverit, voto procul dubio potiturus, niſi nobilitas ejus inſidias maturè detectas prævertiſſet.

Petrus Crinitus de Honeſta Diſciplina Lib, VII. Cap. XII.

Falſò receptum eſt, ac doctioribus etiam perſuaſum, fuiſſe in Decades diviſum T. LIVIO ſuum Opus de Romanorum geſtis, quæ ſingulæ Decem Voluminibus explicantur, quod ipſum de Auctore LIVIO neutiquam apud Veteres comperias. Nam & Priſcianus vir diligens, aliique Grammatici, ſicubi LIVIUM citant, Librorum numerum adſcribunt, neque Decades nominant. Itaque & XVI. Librum, & XXXIII. & CXVI. videmus advocari ab antiquis Autoribus. Cui ſententiæ & Franc. Petrarcha adſtipulatur, ut qui aſſerat in Epiſtola ad Joannem Boccatium, ignavia Legentium contigiſſe, ut LIVIANA HISTORIA ſit in Decades diſtributa. In partes (inquit) quas Decades vocant, non ipſe, qui ſcripſit, ſed faſtidioſa Legentium deſidia diviſit. Sed & L. Florus Libros CXL. ejusdem Auctoris recenſet, ſublato penitus nomine Decadum, cùm univerſam Hiſtoriam in Epitomen, vel (ut Latinè loquar) in Breviarium contraxit. Id & Politianus olim ita liberè nobis concedebat, ut noſtram quoque diligentiam magnoperè commendaret in perquirendis atque examinandis Veterum monumentis.

Ioannes Maria Catandus in C. Plinii Cæcilii Secundi Vita.

Scriptorum illuſtrium duo in Urbe ſæcula imprimis feliciſſima fuêre: Auguſti ſcilicet & Veſpaſianorum fratrum, cùm inter alios duo Plinii floruere: è quibus Junior, quo die & anno natus ſit, adhuc quæritur, ſub Nerone non ambigitur, Patria Novocomenſis, L. Cæcilio Patre, & Hiſtorici Plinii ex Sorore genitus, à quo per adoptionem Familiæ ejus inſertus, Avunculi bonorum & ſtudiorum alio ſcribendi genere ſucceſſor: Præceptores habuit Fabium Quintilianum, & Niceam Sacerdotem. In Syria Tribunus militum, Euphratem Philoſophum audivit. UBERTATE LIVIA-

NA

NA plerumq; capiebatur. Græca in Latium, nostra in Græciam transferens, studium suum Adolescens intendebat. Puer admodùm Comœdiam Græcam composuit: elegos & heroicos aliquando pangens. Suos etiam hendeca syllabos, quorum libellum emisit, â Græcis probari gloriatur. Nonnunquam enim versiculos parùm severos, ipse tamen integerrimus vita, lusit non sine summorum virorum exemplo. Undè vicesimo ætatis anno dicere in foro cœpit, & in Senatu plures gravissimas causas egit.

Conradus Lycosthenes in Caii Plinii Cæcilii Novocomensis Vita, ex ejus Epistolis excerpta.

Puer adhuc (*Cajus Plinius Junior*) cùm egregiam præ se ferret indolem, ut liberalibus artibus imbueretur, Fabio Quintiliano, omnium fidissimo puerorum informatori, & in Oratoria professione nulli secundo, datus, artes humaniores mira ingenii felicitate perdidicit. Aliarum disciplinarum avidus, paulò pôst Nicetem Smyrnæum Sophistam, & præclarum eo tempore Oratorem, audivit: qui adeò ingenium ad utramq; rationem accommodabat, ut Judiciale Sophistica quadam facultate exornaverit, Sophisticum verò & umbratile forensibus aculeis roboraverit, & cujus sententiæ ac paradoxa quasi bachantes Thyrsi, mellis lactisque copiam præbere videbantur. Quibus artibus cùm Plinium probè instituisset, annuente avunculo in Syriam tanquàm ad præclarissimarum Artium omnisque Philosophiæ mercaturam misit, ubi Euphratem Philosophum naturæ arcana explicantem audivit. Verùm cùm post multos in studiorum curriculo exantlatos labores, jam sine cortice natare didicisset, & optimos quosque sibi Auctores legendos proposuisset, LIVIUM tamen Romanæ Historiæ Antesignanum & Principem cùm toties â Quintiliano Præceptore laudibus celebrari audivisset, (qui PATAVINUM in concionibus suprâ quàm narrari potest Eloquentissimum vocare solitus est, & ob id inter cæteros Scriptores in Scholis quâm diligenter legendum in Oratoriis suis Institutionibus præcipit,) ejus Historias lactea eloquentia descriptas, rarò de manu deposuit, ex quibus eam etiam hausit eloquentiam, quam in doctissimis suis Epistolis & Trajani Imperatoris Panegyrico, magno verborum & sententiarum ornatu, orationisque fœcunditate abundè satis ostendit. Græca in Latinam, nostra in Græcam transferens, ingenium exercuit.

Marci

Marci Antonii Sabellici Oratio de Laudibus Historiæ in T. LIVIUM.

Plurium annorum consuetudo fecit, Patres, & Viri Ornatissimi, ingenuique Adolescentes, ut hæc dicendi ratio, qua post autumni ferias soleo meorum Auditorum coetum ad Literariam ineuntis Anni exercitationem, velut classico quodam revocare, non mei amplius muneris, voluntariique officii esse videatur, sed veteris cujusdam instituti, legisque sanctioris, quam nefas sit mutare: hoc verò ut credam, duo præter cætera faciunt: & quod nihil vestra interesse potest, Adolescentes optimi, quod non idem sit, & meum præstare: & id ipsum, quod datur, vel ex eo vobis vehementer placere intelligo, quod quotannis majore quodam studio, celebrioreque coetu vos dicenti mihi adesse perspicio. Cæterùm quàm utiliter & honestè sit comparatum, ut studiosi Adolescentes ex aliena laudatione, alta & sublimia ingenia mirari assuescant, & ea, quæ mirentur, omni cura ac diligentia nitantur æmulari, nemo est vitæ tàm ignarus, qui non id planè intelligat. Quid? quod ne exemplo quidem res hujusmodi caret? Nam quid per Deum Panegyricæ illæ actiones apud majores sibi voluerunt, quibus magnorum Principum, Deorumque laudes continebantur: an aliud, quàm ut mortales tali laudatione accensi, ad splendorem vitæ, & nominis immortalitatem niterentur. Quia igitur operæ precium est, id facere: & vos, ut video, nihil passuri estis ex hoc meo instituto deperire: requirebam nuper animo, quid potissimum sequerer, de quo hodiernus mihi instituendus esset sermo: quod nec inutile esset relatu: essetque sua magnitudine & novitate non ingratum auditui: succurrebat interim animo, nihil ferè eorum esse, quibus latè diffusum est corpus Eloquentiæ, de quo non ex hoc loco verba fecerim: sic â me laudata Poetice est: sic Oratoria facultas, sic Historiæ, sic Latinæ Linguæ majestas, & amplitudo defensa. Apparebat igitur ex iis, quæ dicenda restant, (restant enim adhuc non pauca, quæ & non ita sunt rei accommodata, sunt tamen relatu non indigna) nihil esse eorum, de quo commodius in præsentia dici possit, quàm de augustissima Urbis Romæ Origine: undê LIVIUS, quem quod mihi & vobis feliciter vertat, sum hoc Anno enarraturus, suam auspicatissimê orditur Historiam. Quibus auspiciis fuerit ea Urbs condita, qua indole adoleverit, quibus adulta viribus steterit, qua demum virtute propagaverit in omnes gentes imperium. Verùm

quia res nimiùm multis nota est, atque ita graphicè à LIVIO pertractata, ut nemo ejus Libros legerit, cui non tota rei series sit notissima, acta agam, ut proverbio fertur: Ipse potius Auctor nobis erit materia ad dicendum, qe quo omnis noster hodiè futurus est sermo: qui ut brevior sit, ut diluci-dior de iis, quæ in reliqua condenda Historia illi feliciter evenerint, primò dicam, apparatum operis & dignitatem explicabit oratio. Sed vos Patres, & Viri Humanissimi, pro perpetuo vestro in me studio, meaq; in vos bene-volentia, attentas o ro,ut si quando aliàs, hodiè mihi adhibete aures: nam quod ad rem attinet, certò scio ita futurum, ut eorum, quæ dicenda sunt, alterum vehementer miraturi sitis: alterum, quod Vestrum est judicium, singularisque eruditio, non mediocriter probaturi: ea est humanarum re-rum conditio, Patres, & Viri Præstantissimi, ut satis sit felix in hac vitæ inconstantia judicandus is, cum quo ita fortuna decidit, ut meritò infelix dici non possit: omnis autem de felicitate sermo, haud multum ab eo di-versus videtur, quem Plato, Vir summus, de Bono tripliciter instituit, ut pars una sit posita in ipsius rei Scientia, quæ Εὐδαιμονία Græca vo-ce dicitur, altera in Possessione, quæ Εὐτυχία, Εὐφραδία reliqua est, quæ ad usum refertur: usum hunc Auctor ille summus adeò præ cæteris probavit, ut auri montibus, & huic arti, si qua ars inveniri posset, quæ immortalitate hominem afficeret, non dubitaverit anteponere. Nunc cùm totam LIVII vitam inspicio, omnia illi affuisse videntur, quæ ad felicitatem consequendam pertinere creduntur: celebris Patria, populare Nomen, Tem-porum felicitas, maturitas Studiorum, sublimis ad scribendum Materia, sum-mi Principis Favor, & in studiosos Beneficentia, ut benignior natura larga manu tot & tanta in unum contulerit, quot aut quanta in alium eorum, qui Historiam scripserunt, quod sciam, neminem. In quibus percipiendis, ornandis, disponendis, non solùm ille non sibi defuit, sed quod est omnium judicium, ipseque studiorum exitus demonstrat, longè etiam superfuit. Nunc quod ad Patriam attinet, quid secundùm Romam fuit olim tota Italia Pata-vio clarius? cujus Urbis, si Originem quæras, ab Ilio est: si Auctorem Originis, Antenor condidit, Trojanorum post Priamum celeberrimus: si Opes, Centum & amplius hominum millia olim misit ad bellum, CCCC. Equestris ordinis ex suo corpore censuit: si Eruditionem, omnium bonarum

 Artium

Artium eſt hodiè domicilium, & quod omnium maximum eſt, maximèque conſpicuum, cùm per hæc ſatis eſſet nobilis clariſſimo partu, multò facta eſt nobilior. Ab Ilio eſt Patavium, ex Patavio inclytæ Venetiæ, præcipuum hodiè maris terrarumque decus, Chriſtiani nominis, ne Orbis dicam, ſpecimen, cujus ſtupendus ſitus alternis naturæ vicibus, neſcias, commodior ſit colentibus, an ſalubrior, an ab omni externa injuria tutior. Tranſeo magnificentisſimum Urbis apparatum, templa, areas, pontes, porticus, conciliabula, ædificia ſumptuoſiora publica & privata, ſacra & profana: quibus plus penè auri ineſt quàm tectorii. Tranſeo omnium gentium commercia, civium greſſum, ſtatum, alloquium, virorum & mulierum cultum, ingeniorum præſtantiam, morum ſanctitatem; ut planè affirmare audeam, aut hanc Urbem eſſe in toto orbe præſtantiſſimam: aut nullam aliam inveniri, quæ illi cultu, virtute, & opibus præferri poſſit. Nec modicæ felicitatis duxerim, aliquem in præclara Civitate naſci: Plato, cujus Auctoritatem ſequor libentiſſimè, vel quia ſapientiſſimus fuit, ut inter omnes conſtat, vel quod veritatis amiciſſimus, inter pauca, quibus eſt Naturæ gratulatus, eo nomine illi gratias egiſſe fertur, quod Athenis potiùs quàm alibi natus eſſet. Et LIVIO talis contigit Patria, quali neque major, neque illuſtrior, niſi Romæ natus eſſet, in Italia contingere ea tempeſtate potuiſſet. Age verò, quod Nomen tota Quiritium Civitate fuit LIVII appellatione popularius? Id Tribunus nomen tulit, qui Romanæ Plebis, totiusque Italiæ cauſam amplexus, inimicorum fraude periit; id Conſul, qui Carthaginenſium opes ad Metaurum fregit: ſed nihil eodem amabilius, quàm cùm id LIVIA AUGUSTA tulit, ut meritò ſuſpicari poſſis, non minus GentileNomen LIVIO profuiſſe ad Auguſti gratiam ineundam, quàm aut ſtyli dignitatem, aut vitæ elegantiam. Age rurſus ecquando Scriptorum cuiquam tanta contigit Temporum felicitas, ut difficile ſit dictu, majorne illi Materia an Favor fuerit ab initio comparatus, quantò Dii Boni ſatius fuit ea tempeſtate floruiſſe, quâ maximè res Romana floruit, bonæ artes & diſciplinæ in precio fuêre, quàm ſi ejus ortus in Romanorum Regum tempora incidiſſet: quibus præterquam quod nullus fuit in nova Civitate Literarum uſus, nulla materia ad ſcribendum parata: Saluti etiam fuit quibusdam prudentiam diſſimulare: aut ſi in Tribunitios motus, & procellas, quum civilis otii turbatoribus forum & roſtra, non Oratoribus ſonarent: aut in Punica tempora, quum acie cadendum fuit, aut in armis ſeneſcendum: aut in Civilia bella, quum bis fuit Eloquentia proſcripta: aut in ea tempora,

ra, quæ Augustum secuta sunt, quibus vel unum verbum imprudenter positum, multis exitio fuit: ut haud quispiam facilè statuat, Temporumne felicitate, an ingenio magis LIVIUS profecerit: Studio, & Eruditione, an Principis præsentia & Favore. Sequitur Studiorum maturitas, quæ tanta illi affuit, ut nulla major adesse potuerit. Jam satis constat, nullas Latinas ab initio Literas in usu fuisse, ac si quæ fuerunt, ad Senonicum bellum usque in infantilibus crepundiis jacuerunt: indè ad excidium Carthaginis puerascere cœperunt, adoleverunt cum M. Tullio, cum eoque maturuerunt: in deliciis fuerunt sub Augusto, quo extincto, tacito quodam modo visæ sunt senescere, ut quicunque post illum scripserint, etsi multæ alioqui in his fuêre virtutes, Romanum sonum, perspicuitatemque præcipuam, in sermone veritatem, parùm integrè custodiverint, potuerint ne illi, & noluerint: an re inclinata semel temporum vitio amplius in integrum restitui nequiverint, haud quisquam, ut arbitror, facilè dixerit. Profuit Maturitas hæc non parùm, sed multò plus Materiæ dignitas, qua nulla major, sublimior, uberior contigit cuiquam, nisi fortè Assyriorum Rex, undè Trogus suam exorsus est Historiam: foedissimasque Semiramidis libidines cum Sabinarum pudicitia, cum Lucretiæ, Martiæ, & Sulpitiæ castitate compares. Aut Sardanapali plumas, & cæterorum Regum ocium & inertiam, cum Romuli solertia, Numæ religione, pugnacissima Hostili indole, Martii prudentia, Prisci consilio, Servii popularitate, Superbi acrimonia: aut Astyagis & Medorum socordiam, cum Bruti calliditate, Cincinnati prudentia, Camilli felicitate: aut fugacissimos Persarum exercitus, cum Romanarum legionum robore, & constantia: aut Thebanorum superbiam, sævitiam Lacedæmoniorum, Atheniensium imbelliam, cum Romani Populi mansuetudine, clementia & fortitudine, Carthaginensium perjuria, cum feciali jure Civitatis, solennique bellorum ceremonia: aut Alexandri domesticas cædes, & intempestivas ebrietates, cum Scipionis in suos cives studio, & Cæsaris sobrietate: aut Gentes, quas Macedones bello vicerunt, cum Latinorum robore, qui toties sunt â Romanis victi, cum Samnitium pertinacia: rebellionibus Ligurum, Gallorum ferocia, & brevi, si omnium gentium gesta in unum conferas, haud tanti sint, ut cum iis, quæ unus Populus Romanus gessit, aut virtute aut felicitate comparari possint: nec si totus orbis terrarum hoc, in quo nunc sumus, templo contineretur, verendum mihi sit, ne non hanc meam de Populo Romano prædicationem tàm æquo animo laturus esset, quo ejusdem Populi tu-

ſit imperium. Niſi fortè Hiſpani id audeant inficiari, de quibus ſæpius propemodùm Romæ triumphatum eſt, quàm cum ipſa ſit gente bellatum: aut Baleares Hiſpanis propinquæ, quæ cum multis gentibus Metellorum Familiæ Cognomen tulère: aut Galli, qui Romæ, qui tota Italia, qui ſua ipſorum in terra ſæpè ad internecionem cæſi dicuntur: aut Britanni toties vectigales facti: aut Germani, cujus Gentis Cognomen plerique Rom. Cæſarum, quia eos viciſſent, geſſère. Quid Daci, Getæ, Sarmatæ, Pannones, & Macedones, an non ab his ſunt Dacii, Getici, Sarmatici, Pannonici & Macedonici, partim Romanorum Ducum, partim Cæſarum Cognomina? quid Achaja, Creta & Iſauria, undè Iſauricus, Creticus & Achaicus. Accedit Bithinici appellatio, & quæ omnium, quas diximus, longè clariſſima fortaſſè viſa eſt, Aſiatici. Cæterùm Pompejus, qui de Ponto, Colchide, Hiberia, Albania, Armenia, Cilicia, Cappadocia, Pamphilia, Judæa, & toto ferè Oriente uno die triumphavit: Magni, quod plus fuit, quàm ſi unius terræ tuliſſet Cognomen, ferre maluit. Quid quod Parthi & Perſæ, etſi ſerò, dedère tamen id decus Romanis Cæſaribus: Alexandria cum tota Ægypto non ſolùm triumphata eſt, ſed, ſublato Ptolomæorum regno, in provinciæ formam redacta. Jam verò Cyrenenſes, Hammonii, Naſamones, & Garamantes triumphandi materiam Cornelio Balbo præbuerunt: ſed quid clarius Romæ auditum, aut quid longius illuſtratum, quàm Africanorum nomina: quorum hic Carthaginem Romani Imperii æmulam fregit, ille fractam ſuſtulit? quid Getulici appellatio? quid Numidici? quid alia mille præclara nomina? quæ planè arguunt, Rom. Pop. non ſolùm gloria, imperiique magnitudine præſtitiſſe cæteris gentibus, ſed virtute etiam bellica ſuperaſſe. Et ne non in plenum prædicatio hæc valeret, Scythæ & Indi, ad quos Romanorum arma non pervenerant: non quia non vinci potuerint, ſed quia longisſimè omnium repoſti eſſent: hi ad Aquilonem, illi ad Orientem Solem ad Auguſtum Cæſarem legatos miſère, ejus amicitiam & ſocietatem petentes: quo contigit, ut hoc Principe tantum Rom. Pop. patuerit, quantum nunquam aliàs, quod proditum ſit memoriæ. Auxit hanc felicitatem optatiſſimus Principis Genius, qui haud dici poteſt, majoréne pietate ingenia ſui temporis foverit, an honoribus & præmiis extulerit, an præconio ampliarit: quo contigit, ut paucis annis tantum propè Romana Lingua creverit, quantum ab Urbe Condita ipſum creverat Imperium. Tenetis, credo, Viri & Adoleſcentes Studioſisſimi, quibus Felicitatis gradibus ſit LIVIUS immortale nomen adeptus:

nunc accipite, quæſo, quo ſit ille in ſcribendo uſus conſilio, & quibus in univerſum ejus Hiſtoria redundet virtutibus. Nam hoc illud erat, de quo me altero loco dicturum promiſeram, Vos adhuc quæſo paululùm Veſtras mihi aures accommodate, Viri & Adoleſcentes Optimi: tantiſper, inquam, dùm hoc quicquid eſt, quod reſtat, multò brevius dicam, quàm ab ullo dici poſſe videatur. Zeuxis ille Heracleotes, qui in uvarum figuratione adeò eſt naturam æmulatus, ut volucres ſint earum, ùt proditum eſt memoriæ, aſpectu deceptæ: Tabulam Agrigentinis figuraturus, in Laciniæ Junonis templo dedicandam publicè petiiſſe dicitur, ut aliquot ingenuas puellas, detractis veſtibus, per ocium expectare liceret, ut quod in ſingulis eximium & elegans eſſet, una repræſentaretur imagine: ingenioſè quidem & novo fortasſis exemplo. Sic LIVIUS nobiliſſimam ſcripturus Hiſtoriam, cùm ſe totum ad imitationem contuliſſet, viſus eſt mihi effingere ſibi copiam Thucydidis, Herodoti candorem, Polybii diligentiam, & in noſtris gravitatem Trogi imitatus eſt, Catonis vetuſtatem, brevitatem Criſpi. Etenim ut converſo dicam ordine, quis eo brevior quàm cum Urbis Romæ Originem, & Origini proxima paucis verſibus explicat? quis vetuſtior quàm cùm Faceſſere & Averruncare uſurpat, & alia à Faunorum & Aboriginum ſeculo repetita? aut quis gravior, quum aut Senatorum ſententias ſcribit, aut Ducum ſtrategemata; aut diligentior, quàm quum Fabii, Cincii, Piſonis, Quadrigarii, & aliorum ſcripta comparat? aut candidior, quàm quum aut temporum momenta, aut locorum ſitus demonſtrat? Quis demùm copioſior, quàm quum rerum conſilia, ſucceſſus & eventa latè exequitur? Quis prætereà in magnis ſublimior? aut quis in parvis propior? cui major fides in dubiis conſtitit? aut in obſcuris ſignificantia? quanta rurſus verborum copia? quantum ſententiarum pondus? quid hypotypoſis illa, quæ efficit, ut ea, quæ ſcribuntur, non ſcribi, ſed geri videantur? Taceo figurarum varietatem, etſi nemo fuit in translationibus magis ſobrius, nemo in verborum novitatibus verecundior. Creber in ſententiis, in affectibus crebrior: & ut breviter dicam, nulli major materia contigit: nullus major facultate ad ſcribendum acceſſit, ut dubium ſit, utrum ſtylus materiæ, an verò materia ſtylo plus contulerit; tantum affirmare poſſum ex omnibus Hiſtoriæ virtutibus, quas Cicero præclarè colligit, quum ſit eadem & vitæ magiſtra, nullam aliam fuiſſe unquam: neque, ut arbitror, futura eſt Hiſtoria, quæ melius vitam poſſit in omnes civiles diſciplinas

nas instruere, quàm hæc quam LIVIUS scripsit: quæ præterquam quod omnis civilis regiminis explicat formas, Regiam, Popularem, Tyrannicam, Paucorum & Optimatium potentiam: nullum est virtutis exemplum, quod in tàm longa rerum serie non planè eluceat. Nam si Justitiam spectes, quid Bruto, Posthumio, Torquato, fuit justius? qui ut jura & leges tuerentur, ne filiis quidem parsum voluerunt: Si Fortitudinem, quid Scævola, Coclito, Curtio, duobus Deciis fortius? quorum hi legiones & exercitus, illi Urbem suis corporibus texere. Quid ad hæc, Catonibus, Lælio, Rutilio, & Scævola prudentius? quid Fabritio & Menenio frugalius? quid Numa sanctius? quid Metello & Vestalibus religiosius? cui Coriolanus Pietatis exemplo non meritò præferatur? Cui non puerpera illa, quæ matrem in carcere uberibus aluit? cujus rei monimentum fuit ad posteros Pietatis templum publicè constitutum. Sed quò ego provehor? quò me sermonis impetus rapit? quasi fando quisquam breviter complecti possit, quod LIVIUS immensis voluminibus vix potuit, quin inhibeo habenas, Fabii contentus testimonio, qui tantum Romanos ait exemplo valuisse, quantum omnis Græcia valuit præceptis. Quum talis igitur sit LIVII HISTORIA, ut & ad dicendum multum, & ad benè beatèque vivendum prodesse possit, hoc exemplorum auctoritas præstare potest, illud styli ornatus, & elegantia: possitq; hæc lectio ita in omnes disciplinas Lectorem instruere, ut domi, foris, in curia, in foro, publicè & privatim sibi & suis utilis sit futurus: huic date operam ingenui Adolescentes. Nam ad vos hæc attinet adhortatio: omnem curam, studium, & cogitationem vestram in unius LIVII lectione defigite: hunc legite, volvite, perdiscite: unum hunc eloquentiæ, & vitæ moderatorem vobis proponite. Quod si, ut spero, feceritis, satis fore confido, ut vobis usui sitis, parentibut honori, amicis emolumento; patriæ, quæ vos genuit, aluit, instituit, cui post Deum omnia debetis officia, decori & ornamento. Operam & industriam meam ad optatum rei profectum desiderabit nemo. DIXI.

Philippi Beroaldi Oratio, habita in Enarratione TITI LIVII ac Silii Italici, continens Historiæ Laudationem.

Officium est boni Professoris, Viri Præstantissimi, id velle profiteri, quod Auditoribus utilitatem cum voluptate maxima allaturum sit, quod

Scho-

Scholasticorum auribus satisfacturum, quod temporibus sit futurum accommodatum. Hoc ego semper omni studio ac diligentia superioribus annis efficere contendi, & in præsentiarum me effecturum esse confido. Cùm duos celeberrimi nominis Scriptores ex omnibus delegerim, quos in hoc Augustissimo Gymnasio profiterer, quorum lectio & prodesse & delectare plurimum possit, atque his temporibus sit futura maximè conveniens. Nam cùm omnium disciplinarum cognitio utilis ac jucunda mortalibus sit, Historiæ cognitionem medius fidius utilissimam jucundissimamque esse censeo, ex quo cùm multum omnibus Scriptoribus debeamus, qui non solùm sibi, sed etiam posteris vixisse creduntur, plurimum profectò Historicis debere nos, non possumus inficiari, quorum labore ac industria effectum est, ut omnium ætatum, omnium gentium, omnium populorum res gestæ, omnia præclara facinora scirentur, à nobis intelligerentur, cognoscerentur, ut cuncta cunctorum illustrissimorum virorum dicta, factavè memoratu digna contueri, ediscere, recordari liceret, qua quidem re nihil pulchrius, nihil jucundius, nihil magnificentius excogitari posse contenderim. Etenim ut à Cicerone scriptum est divinitùs, nihil earum rerum scire, quæ antequàm nascereris, factæ sunt, hoc est, semper esse puerum. Cognoscere verò res gestas memoriæ veteris, ordinem tenere antiquitatis, exemplorumque omnium habere notitiam, decorum, laudabile ac propè divinum est. Senibus ideò major auctoritas est, quoniam ob longam ætatem res plurimas nosse ac vidisse creduntur. Ad hoc Juvenibus cognitio Historiarum præstat, ut etiam præteritis seculis vixisse videantur, & illi me hercule Adolescentes, qui Historias habeant ad manum, & exempla illustrium virorum in promptu, tantò senibus sunt anteponendi, quantò plura negotia complectitur Historia multorum seculorum, quàm faciat hominis vita longissima. Huc adde, quod qui bonus Orator esse concupiscit, in primis abundare debet exemplorum copia, & nosse quàm plurima. Nam cùm sit Historia testis temporum, lux veritatis, magistra vitæ, nuncia vetustatis, nihil ambigitur, quin Orator optimus esse non possit, nisi fuerit antiquitatis exemplorumque cognitione instructissimus, nisi Historias perindè ac ungues suos habuerit exploratissimas, quoniam (ut inquit Quintilianus) Historia alere potest Orationem molli quodam ac jucundo succo. Est præterea operæ precium in Voluminibus Historicorum omnis exempli documenta velut in illustri monumento posita intueri, undè, quæ imitanda sunt, depromere ac

nobis proponere ad imitandum, quæ fugienda, fugere possimus. Pulchrum est (ut inquit verissimè Diodorus) ex aliorum erratis in melius instituere vitam nostram, & quid appetendum fugiendumve sit, ex aliorum exemplis posse cognoscere. Undè haud immeritò Demetrius Phalereus Ptolemæum Regem subindè admonebat, ut libros lectitaret, quoniam quæ amici non audent Principibus demonstrare, ea omnia in libris scripta reperiuntur. Hoc est, in cognitione rerum salubre atque frugiferum scire, quibus artibus, qua disciplina, quibus moribus maxima imperia orta sint, maximi Imperatores nomen sibi immortale pepererint, & è contrario, qua vitiorum labe infecta amplissima regna corruerint, & ex summo in imum præcipitaverint. Ad summam Historia ad id, quod honestum est capessendum inflammat. Detestatur vitia, probos extollens, improbos deprimens. Historiæ (ut inquit Victruvius) per se tenent Lectores, quum habeant novarum rerum varias expectationes. Utinam nobis Deus eam ingenii memoriæque divinam vim condonasset, qua Portius Latro Declamator egregius fuerat decoratus, qui cùm omnes Historias unus omnium notissimas haberet, jubebat aliquem Ducem nominari, & è vestigio omnia acta cursim diligenterque commemorabat. Cæterùm cùm omnes Historici legendi, adeundi, ediscendi Scriptores, potissimùm Latini, rerumque Italicarum ac maximè Romanarum enarratores (sicut mihi videtur) sunt adorandi, colendi, lectitandi, nec unquam è manibus dimittendi, idque duabus de causis potissimùm faciendum videtur, quoniam & rerum nostratium cognitio magis ad nos, quàm externarum pertinere existimatur, & quod Historici Latini sanctiores, verioresque Græcis Scriptoribus fuisse creduntur. Pugnant enim inter se omnes ferè Græcorum Scriptores, & alter alterius mendacia refellere conatur. Ita Ephorus Hellanicum, Timeus Ephorum, Philinum Polybius, Herodotum quàm plurimi tanquam fabulatorem reprehendunt. Hinc â Satyrico Poëta dictum esse credimus, quicquid Græcia mendax audet in Historia. Discrepantiæ autem illorum causa hæc potissimum fuisse traditur, quod nullam unquam Græciæ curam populi adhibuerunt, ut præclara facinora scriberentur ac publicarentur, ideòque magna in Scriptoribus mentiendi licentia fuit, qui cùm partim res gestas ignorarent, partim affectionibus ducerentur, non Historiam conscripserunt, sed mera mendacia. Contrà apud Romanos, ut omnia, proùt gesta fuerunt, incorrupta, integra, atque fideliter conscripta haberentur, Pontifices Maximi res

res omnes singulorum annorum literis mandabant, efferebantque in album tabula domui proposita, ut esset populo potestas cuncta cognoscendi, & hi Annales Maximi appellabantur. Hanc autem similitudinem scribendi secuti sunt Piso, Fabius Pictor, & ille Cato Portius, omnium bonarum artium Magister à Plinio nuncupatus, qui sine ullis ornamentis, sine pigmentorum coloribus, sine fucato nitore monumenta rerum gestarum reliquerunt nuda, recta atque simplicia primam illam in primis observantes Historiæ legem, quæ præcipit, ne quid falsi dicatur. Etenim dempta ex Historia Veritate, ita narratio omnis inutilis, ac penitus manca efficitur, sicut corpus animantis inutile fit oculis effossis, ùt luculentè scriptum est â Polybio. Deindè cùm ingenia, erudito jam seculo, indies magis excolerentur, & facundia uberior, politiorque proflueret, eloquentissimi apud Romanos ad scribendam Historiam sese applicaverunt, qui non, ut superiores, tantummodò Narratores fuêre, sed etiam exornatores atque illustratores maximi extiterunt, qui, utpotè divino ingenio præstantes viri Historias affectionibus omnibus casuum varietate mirabili, egressionibus jucundis resperserunt, & quibusdam flosculis quasi pratum distinctam, variegatamque decorarunt. Qui cùm omnes sint excellentissimi, quum omnium Lectio jucundissima ac utilissima futura sit, quùm omnes haud dubiè suscipiendos ac lectitandos esse censeam. TITUS LIVIUS in primis enarratione dignissimus mihi visus est, & jucunditatis, utilitatisque inter alios refertissimus, cujus lectio omnium Scholasticorum auribus, animisque satisfactura sit. Est enim dulcis, candidus & effusus, & eo nullus Historicorum melius commendavit mitiores affectus, apud quem omnia tùm rebus tùm personis sunt accommodatissima. Qui in narrando miræ est jucunditatis, clarissimique candoris, qui (ùt verissimè dixit Quintilianus) in concionibus, suprà quàm narrari potest, est eloquentissimus. Cujus lactea ubertas Lectorem detinet, avocat, pascit, omnibusque affectionibus validissimè commovet, & quo vult, maximè impellit, cujus divinæ facundiæ nihil addi potest, cujus orationi si quid demas ex elegantia detraxeris, quemadmodum de Platonis Oratione Phavorinus dicere solebat. Idem grandiloquus est, & sententiarum gravitate, & Majestate verborum, idem copiosissimus, nec tamen longus. Nam (ut inquit egregiè Martialis) Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis. Non igitur immeritò Divus Hieronymus testatur, quosdam ex ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus viros illustres Romam venisse, vel ob hoc solum, ut TITUM LIVIUM

lacteo eloquentiæ fonte manantem contuerentur, qui (ût Plinius in Epistolis inquit) posteaquàm hominem vidêre, statim in patriam repedarunt. O te felicem, ô te beatum TITE LIVI, cujus unius videndi causâ viri nobiles tot millia passuum confecerunt, ex penitissimis regionibus proficiscentes tot montes incultos, tot invia loca superarunt. Illa profectò illa divina virtus est existimanda, quæ in uno homine tantum polluit, tantum effulsit, ut ad eum visendum tanquam ingens celebrandumque miraculum Galli, Hispanique sollicitarentur. Meritò Quintilianus LIVIUM inter cæteros Scriptores legendum esse præcipit in Scholis, quoniam scilicet candidissimus est, & maximus Auctor Historiæ. Meritò & nos LIVIUM ex omnibus unum delegisse videmur, quem publicè hoc anno profiteremur, cujus Libri omnes cùm lectitandi sint, & in manibus quotidiè habendi. Nonnè hæc DECAS LIVIANA, quam Diis benè auspicantibus ordimur, enarrare reliquis Decadibus est anteponenda? Nonnè hæc in primis Volumina â LIVIO divinitùs scripta fuisse censendum est? Et hæc profectò Decas, (hoc enim nomine LIVIANI LIBRI â numero denario nuncupantur) quantò bella, quæ continet, cæteris bellis majora fuerunt, tantò reliquas Decades antecellit. Laudat Originem Adamantium Hieronymus, quod cùm in cæteris Voluminibus omnes superaverit, in Cantico Canticorum ipse se vicerit. Laudatur â Cicerone Crassus Orator, quem cùm in agendis causis consensu omnium cunctos semper exuperaverit, in extrema actione â semet ipso superatum esse testatur. Praxiteles inter statuarios â Plinio celebratur, perinde ac marmoris gloria superaverit etiam semet, hoc idem & nos hodierno die de LIVIO meritò dicere possumus, qui cùm in cæteris Decadibus cæteros antecelluerit, in hac semet ipsum vicit. Et me Hercules, ut dicam, Viri Clarissimi, quod sentio, eodem animo LIVIUS bella scriptitavit, quo Romani gesserunt, eodem ingenii fulmine stylum exercuit, quo Romanus Populus arma tractavit, eadem vigilantia incubuit chartis, qua Romani milites disciplinæ militari incubuerunt, & medius fidius videtur Populus Romanus vel ob hoc unum tàm memoranda facinora gerere voluisse, ut illa tàm â luculento Scriptore describerentur, qui res haud dubiè luculentas, verbis luculentis æquavit. quem quotiescunque in manus sumo, non legere videor bella, sed tractare. Et (ut inquit Hieronymus de Paulo) non audire verba, sed tonitrua. In LIVIANIS VOLUMINIBUS videre videor Imperatoras concionabundos, militesque suos exhortantes ad prælia alacri animo capessen-

fenda. Senatum de rebus dubiis consultantem, hostes hinc formidolosos trepidare, Romanos hinc furibundos invadere. Denique apud LIVIUM omnis rei militaris disciplina continetur, omnia strategemata, omnes calliditates Imperatoriæ demonstrantur. Leges Senatus, Populique Decreta, omnes denique artes, quibus domi forisque vivitur, conspiciuntur. Sed proh dolor quantam jacturam passi sunt omnes Literarum Studiosi ex centum & decem VOLUMINIBUS LIVIANIS deperditis, qui omnia, quæ unquàm Romani per septingentos annos gesserunt præclara facinora, veluti in unum redacta corpus, noscere potuissent. Quanto dispendio affectus est Romanus Populus, cujus tot ac tantarum rerum gestarum memoria cum LIBRIS LIVII pariter interiit. Quantum veræ famæ detrimentum Illustrissimi Imperatores subierunt, quorum nomina fuissent sempiterna, & gesta memorarentur, si LIVIANA VOLUMINA non intercidissent. Quod si defunctis ullus est sensus, profectò LIVIANOS MANES ingemiscere credendum est, tot labores incassum sibi fuisse susceptos, tot ne quicquam vigilatas noctes, tot frustrà conscripta Volumina, quæ si extarent omnia, nihil prætereà nobis foret desiderandum, haberemus in quo ocium, in quo tempus benè collocare possemus, & tamen nobis utpotè somniculosis vix ætas suppeteret ad legendum, quæ illi divina quadam benignitate prædito suppeditavit adscribendum, qui etiam DIALOGOS (ùt inquit Seneca) Philosophorum more conscripsit, sed querelæ ab exordio nostræ enarrationis procul absint, nihil nec nobis, nec ipsi LIVIO profuturæ. Cæterùm cum sapientia sit servire temporibus, nos quoque temporibus hic serviamus, quibus cùm arma vigeant, bella horrida perstrepant, cùm omnis Italia bellicis tumultibus sæviat, classica personent, quum Mavors telum suum quatiat, Bellona dominetur, idoneum esse videtur, ut Scriptores eos potissimùm legamus, qui bella describunt. Hæc ergò sit nostra militia, alii bella gerent, nos legamus, alii sub dio in campis patentibus intuti pugnabunt, nos pugnas confectas in umbra in Scholis tuti recensebimus. Hinc aures nostras LIVIUS personabit, indè Sylius. Ambo eadem bella facundissimè narrantes, ille soluta oratione, hic versu Heroico, qui non minus Historicus, quàm Poeta est judicandus, qui stylo cothurnato, & charactere grandiloquo tonare ac fulminare videtur, qui bella non scribere, sed bellare. Cui optimè convenit illud Horatianum: Audire magnos jam videor Duces, non indecoro pulvere sordidos. Ardens est, concitatus, erectus, idem candidus, copiosus, atque sublimis, multum

habet nervorum, plurimum lacertorum, totus bellicis rebus accommodatus, qui non minus eruditionis afferre possit, quàm jucunditatis. mira est in Sylio rerum reconditarum copia, varia ac multiplex locorum, & maximè Italicarum Urbium descriptio, multa Historiarum cognitio. Et cùm Vergilium illa felicitas ingenii soluta Oratione reliquerit, quum Ciceronem facundia illa genuina in Carminibus destituerit, Sylio contigit id, quod paucissimis Dii dederunt, ut idem esset & maximus Poeta, & summus Orator, qui utrumque & Maronis & Ciceronis opus felicisfimè impleverit, quod Epigrammaticus Poeta elegantissimè demonstrat his versibus, cùm de Sylio loqueretur:

> Sacra cothurnati non attigit antè Maronis,
> Implevit magni quàm Ciceronis opus.

Idem alium Sylium Musarum Decus appellat. Sed quid plura? LIVII & Sylii facundia, vires, ingenium, eruditio, cæteræque virtutes eximiæ sese nobis quotidiana enarratione exhibebunt, sese offerent, ostentabunt clarius sole fulgentes. Ego verò omni diligentia, studio, vigilantia elaborabo, enitar, atque contendam ita singulos nodos enodare, ita implicita explicita explicare, ut quemadmodum vos mihi ornamento maximo futuri estis, ita ego vobis sim non minimo emolumento. hoc mihi in animo est velle prodesse, vobis sit velle proficere. Dii faxint ut utrique utrumque propositum implere possimus.

Præfatio Stephani Nigri in TITUM LIVIUM.

In maximo semper cultu, maximaque omnium veneratione Poëtarum nomen extitisse legimus, Candidissimi Auditores, quorum Poëmata non solùm in manibus τῶν σπουδαίων quotidiè habentur, verùm etiam memoriæ thesauro assiduè commendantur. Nec me hercule injuria, cùm præsertim Princeps ingenii & doctrinæ Plato ipsos Poëtas nunc Deorum filios, nunc Prophetas nuncupare haud quaquam dubitaverit, primoque de Situ Orbis libro scriptum reliquerit Strabo, Veteres τὴν πρώτην ποιητικὴν quandam esse Philosophiam perhibuisse, quippè quæ à teneris nos unguiculis ad vivendi rationes perducat, mores atque affectus edoceat, quæque gerenda, declinandavè sint quadam cantus suavitate præcipiat. Inter

ter quos omnium eruditorum teſtimonio Principatum ſuo jure perpetuò obtinuiſſe divinus dicitur Homerus, qui egregium illud opus, quo prudentisſimi ac ſapientiſſimi Ulyſſis eximias virtutes poſteritati commendatas voluit, ita graphicè exorſus eſt:

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μȣ͂σα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε·
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Quibus utique verbis omnium præſtantiſſimus Poeta poſteris id de induſtria innuiſſe videtur, neminem ſcilicet Civilis Prudentiæ ſatis unquam peritum fore, atque eruditum, quin & multorum hominum mores, atque inſtituta cognoverit, & quâm plurimas quandoque optimasque perluſtraverit civitates. Nam ut incertis continuò vagari ſedibus, quod ἀνέστιοι, peregrèque viventes, facere conſueverunt, infeliciſſimum ac miſerrimum habetur: ita perpetuò οἰκουρεῖν, nec patrios unquam transgredi fines, turpiſſimum, atque ignaviſſimum ab omnibus judicatur, iis præcipuè viris, qui, ne ſibi ſoli nati videantur, Reipublicæ adminiſtrandæ curam ſuſcipere, eique optimè pro virili parte conſulere, ac proſpicere debent. Quod enim proverbii vice vulgò jactatur, οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα, id eſt, domi manendum eſt, cuncta cui ſint proſpera: privatis demùm & â Republica adminiſtranda procul degentibus dictum videri poteſt, qui publica negotia, & ad commune totius Civitatis commodum ſpectantia penitus negligant, atque contemnant, ſuisque ipſorum tantùm commodis ſtudeant. Nam qui fieri poteſt, ut quispiam optima ac ſaluberrima ſuæ proſpiciat Patriæ, peſſimaque ac peſtifera ab eadem propellat atque amoveat, cûm & nihil omninò præter ſolum patrium cognoverit, & omni denique rerum uſu atque experientia careat? Quin imò perindè eſt, hujusmodi viri conſiliis Reipublicæ ſalutem committere, ac ſi homini nauticæ rei penitùs ignaro, navis undique procellis in altiſſimo mari agitatæ gubernacula crederes. Quod cùm Spartanus ille Lycurgus, qui Lacedæmoniorum Rempublicam temperavit, non ignoraret, omiſſa

(ût Aristoteles Libro Πολιτικῶν secundo refert) Charilli Regis tutela, peregrè profectus est, diuque apud Cretenses, utpotè Lacedæmoniorum colonos, commoratus, ea ad Rempublicam rectè administrandam præcepit, quæ suis tradita civibus in causa fuere, ut Lacedæmonii unius, nec unquam mutatis legibus diutissimè vixerint. Hippodamus Milesius, qui (ût idem Aristoteles auctor est) omnium primus Civitatum διαίρεσιν, hoc est, divisionem excogitavit: multas prius adivit Urbes, multarum gentium mores, institutaque perspexit, quàm περὶ τῆς πολιτείας quicquam scribere aggressus sit. Quid de Solone Atheniensi, Zeleuco Locro, Charunda Cataneo, Philolao Corinthio, multisque prætereà aliis Legumlatoribus dicemus? Nonne omnes quàm plurimas antè perlustrasse Civitates, multaque passos incommoda, maximos subiisse labores, credendum est, quàm Civibus tùm suis, tùm alienis, ut Legibus à se institutis obsequerentur, valuerint persuadere? Minos ille Cretensis, qui omnium primus Legum seriemcomposuit, ut homines illis facilius ac libentius obtemperarent, earum inventionem ad Jovem retulit, ut Lycurgus apud Lacedæmonios in Apollinem, Minas apud Ægyptios ad Mercurium, Samolsis apud Getas ad Vestam, Moses apud Judæos ad Biaum Deum, Numa Pompilius apud Romanos ad Egeriam. Quare ut in Reipubl. administratione quispiam cùm multifariam peritiam, tùm vel maximè auctoritatem consequatur, multi sunt prius labores sustinendi, multæ Civitates adeundæ, multarum gentium πολιτεῖαι perspiciendæ. Permultum enim interest, ejus præsertim viri, qui in Reipublicæ negotiis versaturus sit, quique & sibi & Patriæ sit optimè consulturus, quid in quaque Republica, vel rectè vel perperàm institutum fuerit, non ignorare. Tunc enim quid suæ sit Patriæ suadendum, quid contrà dissuadendum, quàm pulcherrimè tenet. Cæterùm cum Mediolanensis Respublica optimis ac Saluberrimis innitatur legibus atque institutis, id unum tantùm reliquum esse videtur, ut adolescentes ingenui perpetuæ gloriæ cupidi, eos demum studeant æmulari, qui in rebus agendis adeô se præclarè ac prudenter gesserunt, ut & maximam sibi posterisque suis laudem comparaverint, & suæ ipsorum Reipublicæ salutem ac felicitatem præstiterint. Quod ut facilius vobis, tutiusque facere liceret, LIVIANUM OPUS nobis proposuimus interpretandum; Cognitio enim, ût

ùt Siculus tradit Diodorus, ex aliorum tùm ſecundis, tùm adverſis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem. Pulchrum eſt prætereà ex aliorum erratis in melius inſtituere vitam noſtram, & non quid alii egerint quærere, ſed quid optimè actum ſit, nobis proponere ad imitandum. Hinc eſt quod Δημόνακτος ait: ἐν ἀλλοτρίοις παραδείγμασι παίδευε σαυτὸν, καὶ ἀπαθὴς τῶν κακῶν ἔσῃ. Et Tibullus: Felix quicunque dolore Alterius diſces poſſe carere tuo.

Optima eſt præterea & ſaluberrima illa Græcorum ſententia: Βλέπων πεπαίδευμαι τὰ τῶν ἄλλων κακὰ, id eſt, aliena ſpectans doctus evaſi mala. Plautus: Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit. Quod ſi LIVIANÆ lectioni aſſiduam operam dederitis, non dubito me hercule fore, quin optimè ac pulcherrimè vitam veſtram inſtituatis, eaque ex ipſa Hiſtoria percipiatis, quæ haud ſecus vobis, ac Reipublicæ veſtræ quàm plurimum ſint profutura. Nam TITUS LIVIUS eam ſcribendæ Hiſtoriæ materiam delegit, quæ & maximè inter cæteras excellat, & legentibus utriusque fortunæ exemplis mirum in modum conferat. Tantam prætereà, ut oppidò quàm luculentam conſcriberet Hiſtoriam, aſſiduo labore, longaque exercitatione dicendi facultatem, atque indè famam conſecutus eſt, ut Gaditanus quidam TITI LIVII nomine, gloriaque commotus ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe venerit, ſtatimque ut viderat, disceſſerit. Eo enim labitur perpetuo eloquentiæ flumine, tanto ubique utitur verborum pondere, ac ſententiarum gravitate, ut eximium illud Romani nominis decus orationis majeſtate æquaſſe videatur, & quod Alexander ille Magnus de fortiſſimo Achille, ac Facundiſſimo Homero dixiſſe perhibetur, in principem Populi Romani eloquentiſſimumque LIVIUM meritò transferri poſſit. O fortunatiſſime Popule Romane, qui rerum à te geſtarum præconem Hiſtoricorum præſtantiſſimum TITUM LIVIUM habueris, cujus miram in narrando jucunditatem, clariſſimumque candorem, & ſuprà quàm dici poteſt, in concionibus eloquentiam cùm rebus, tùm perſonis accommodatam, quis unquam ſatis dignis laudibus proſequi poſſet? Nam ad ejus in dicendo multiplices virtutes, pro meritis ac dignitate laudandas,

divina

divina procul dubio opus esset oratione. Quare ne sterilem aut inanem sumpsisse operam videar, eosque æmulatus, qui πλίνθον πλύνειν, καὶ αἰγιαλὸν ἀροῦν conantur, à LIVIANÆ facundiæ laudatione, ad Historiæ ipsius interpretationem me totum convertam, si tamen prius quid Historia sit, quid Historico conveniat, in medium protulero. Naturalis Historia est, ut Plato refert, causas intelligere, per quas singula quæque fiant, atque pereant, & qua sint ratione. Duplex est ejus genus, Privatum ac Publicum: Publicum est, quod temporum continet varietatem, ut LIVIANUM OPUS exemplo est. Privatum, quod nulla temporum varietate, titulo tantùm gaudeat, ut Jugurtha, & Catilina. Quidam duplicem etiam modum posuere, intersectitium, quale est illud Suetonii: Continuum, quale est illud Plutarchi per singula virorum gesta: Item Appiani, qui Lybicum, Parthicum, Mithridaticum, bellaque civilia composuit. Est autem Historia (ut Ciceronis verbis utar) temporum testis, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Definiturque à Quintiliano, gestæ rei expositio, cùm Fabula atque Argumentum, quæ & ipsæ narrationum species, longè secus definiantur. Nam Fabula non à veritate modò, sed à veritatis forma remota est, quarum alia Sybaritica, alia Cypria, alia Cilissa, alia Æsopica, ab Inventoribus accepto nomine appellantur. Argumentum falsum est, sed verisimile, quo Comoediæ utuntur. Annales præterea ita ab Historia separant, ut Annales tunc dicantur, cùm res gestæ plurium annorum, observato cujusque anni ordine componuntur, sicut Ephemeris, quod Diarium latinè dicitur, cùm non per annos, sed per dies singulos res gestæ perscribuntur. Historia verò sit earum rerum propria narratio, quibus is interfuit, qui eas narrat, licet generali Historiæ vocabulo tàm Annales, quàm Diarium comprehendantur. Dicta autem est Historia παρὰ τὸ ἱστορεῖν, quod ut Græci scribunt Grammatici, significat, τὸ πολὺν τόπον διέρχομαι, καὶ τὸ παλαιὰ πράγματα ἀφηγοῦμαι, καὶ τὸ ἐρωτῶ. Quod Poeticum est, ut apud Sophoclem: ἱστορεῖ τί σοι φίλον. Quæ quidem ad eum maximè spectant, qui sit Historiam quàm diligentissimè compositurus. Historicum

ſtoricum Poema (ùt Euſtathius inquit) conſtat ἐκ τοπικοῦ, χρονικοῦ, πραγματικοῦ, καὶ γενεαλογικοῦ. Tritones cùm buccinæ faſtigio Saturni ædis ſuperponebantur, inquit Macrobius: quoniam ab ejus commemoratione ad noſtram ætatem Hiſtoria elata, & quaſi vocalis facta ſit, cùm antè muta & obſcura & incognita fuerit, quod teſtantur caudæ Tritonum humi merſæ, & abſconditæ. Cadmus Mileſius (ut Naturalis Hiſtoriæ libro quinto refert Plinius) omnium primus proſaicam orationem condere inſtituit. Hecatæus & ipſe Mileſius Egeſandri filius qui circa tempora Darii poſt Cambyſen imperantis floruit, primus Hiſtoriam, ùt Suidas ſcribit, pedeſtri edidit oratione, ut Pherecydes συγγραφὴν, nulla tamen adhibita verborum ac ſententiarum exornatione. Nam ùt apud nos Cato, Piſo, Fabius Pictor ſine ullis ornamentis monumenta ſolùm temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt, ſic apud Græcos Pherecydes, Hellanicus, Aceſilas, quibus rebus exornari poſſet oratio penitus ignorarunt. Ad grandiorem dicendi characterem ſe evexit Celius Antipater, nec tamen Hiſtoriam locorum varietate diſtinxit, nec verborum collatione, tractuque orationis levi, atque æquabili perpolivit, licet vicerit ſuperiores. Herodotus hoc ſcribendi genus primus quàm pulcherrimè ac ſuaviſſimè exornavit. Hunc ſecutus Thucydides, qui cæteros omnes dicendi artificio facilè ſuperavit, qui ita verbis eſt aptus, & preſſus, ut neſcias utrum res oratione, an verba ſententiis illuſtrentur. Hunc Philiſtus Syracuſanus imitatus eſt, qui apud Dionyſium Tyrannum ocium ſuum in ſcribenda Hiſtoria conſumpſit. Poſteà Theopompus, & Ephorus præceptoris impulſu ſe ad Hiſtoriam contulerunt. Denique Socraticus ille Xenophon Hiſtoriam ad exemplum magis, quàm ad veritatem complexus eſt. Calliſthenes quoque Ariſtotelis & diſcipulus & affinis, Alexandri comes, Hiſtoriam conſcripſit, & hic quidem Rhetorico penè more, Xenophon verò leviore quodam ſono uſus eſt. Horum omnium natu minimus Timæus & rerum copia & ſententiarum varietate abundantiſſimus, & ipſa verborum compoſitione perquàm politus, Thebanorum geſta eruditiſſimè poſteritati tradidit. Romànorum geſta, (ùt Halicarnaſſeus Dionyſius auctor eſt) Portius Cato, Fabius Maximus, Valerius Antias, Silenus, Polybii, Macerelii, Gellii, Calphurnii, multique præterea alii literarum monumen-

tis prosecuti sunt, sed nemò dubitat LIVIUM ac Sallustium cæteris præferendos, quorum alterum Thucydidi, alterum Herodoto, qui in dicendo fuere mirabiles, componere Quintilianus haud quaquàm dubitavit, quorum in diversa dicendi via, uter sit præstantior, inter plurimos quæritur, nemini tamen est dubium, quin immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus sit LIVIUS consecutus. Quare Servilius ille Novianus non injuria dixisse videri potest, pareis esse eos magis, quàm similes. Historicus appellatur (ut Plutarchus refert,) qui gesta narrat, omnis autem narrationis argumenta sunt πρόσωπον, αἰτία, τόπος, χρόνος, ὄργανον, πρᾶξις, πάθος, τρόπος. In summo autem Historico hæc duo in primis esse oportet, σύνεσιν τε πολιτικὴν, καὶ δύναμιν ἑρμηνευτικήν: hoc est, prudentiam civilem, vimque (ut ita dicam) interpretativam, quorum alterum quidem natura insitum sit, necesse est, alterum verò multâ exercitatione, assiduo labore, veterumque æmulatione, comparatur. Sit prætereà Historicus intrepidus, incorruptus, liber in dicendo, ac verus, non amicitiæ, non odii causa, falsa pro veris confingens. Quæ omnia utique in TITO LIVIO adeò exactè fuerunt, ut eorum nihil penitus desideretur. Cæterùm cùm nonnulli sint, qui licet has quidem ferè omnes Historicas virtutes complexi fuerint, in multos tamen errores, à perfectissimo Historico quàm remotissimos, inciderunt. Age eorum aliquot enumeremus, ut an in eos LIVIUS hic noster imprudenter inciderit dignoscamus. Errant Historici, qui à Deorum invocatione exordiuntur, qui diutius in locorum descriptione immorantur, qui proemiis longè prolixioribus, quàm ipsius Historiæ corpus exigat, utuntur, qui cùm mitioribus ac notioribus uti verbis liceat, asperitatem in nominibus, difficultatemque sequuntur, quod quidem præter modum à Plutarcho fecisse dicitur Herodotus, qui usque adeò in scribenda Historia τὴν κακοήθειαν, id est, malignitatem sectatus est, ut cùm producendæ Historiæ, tùm alicujus infelicitatem notandi causa, citrà propositum quoque multa quam sæpissimè Historiæ inseruerit. Quo factum est, ut maledicentia oblectatus à nonnullis credatur, qui cùm laudibus addit crimina ac vituperationes, mortalium hinc indè colligens calamitates, nonne in tragicam incidit κατά-

ραν

ραν, hoc est, execrationem. Τὸ γὰρ ἀπροθύμως ἐπαινεῖν τοῦ ψέγοντα χαίρειν οὐκ ἐπιεικέστερον, ἀλλὰ πρὸς τὸ μὴ ἐπιεικέστερον ἴσως καὶ χεῖρον. Et ut Phavorinus Philo dicere consueverat: Turpius est exiguè, atque frigidè laudari, quàm insectantèr & graviter vitùperari. Duobus igitur pluribusve de eadem re oblatis sermonibus, deteriori plerunque adhæret, quod Sophistis tantum lucri nonnunquàm, gloriæ interdum causa, permittitur, ut scilicet deteriorem λόγον exornent. At Historicus, cui nihil mentiri permittitur, quæcunque vera esse cognoverit, ea demùm literarum monumentis mandare debet. De iis verò, quæ sibi haud quaquàm certa, compertaque sunt, meliora multò verius, quàm deteriora dici videntur. Sunt contrà qui laudes nonnullas vituperiis, conviciisque adjiciant, ut in Socratem Aristoxenus, qui cùm ἀπαίδευτον ἀμαθῆ, καὶ ἀκόλαστον, hoc est, indoctum ac minimè modestum cùm dixisset, intulit: ἀδικία δὲ οὐ προσῆν, id est, iniquitas autem non inerat. Nonnunquam etiam Historica narratio malignitatis crimen incurrere non injuria videtur, cum facta ipsa longè alio, quàm gesta sint, modo percurrit, ut si Philippum Macedoniæ multò plura pecuniæ vi, quàm virtute ac rei militaris peritia fecisse quispiam scripserit, & ejus filius Alexander tot civitates gentesque, ac nationes perquàm facilè nulloque labore subegisse dicatur. Et Dux Atheniensium Timotheus, nulla prudentia, nulloque consilio, sed fortunæ tantùm adminiculo tot victorias assecutus, tot urbes domuisse narretur, cujus eximiæ gloriæ, ut plurimùm detraherent inimici, rete quoddam illo dormiente subeuntes pingebant civitates. Quæ quidem omnia rerum gestarum magnitudinem, sublimitatem, καὶ τὸ κάλλος, id est, pulchritudinem vehementer imminuunt, cùm de negotiis laborem, de periculis fortitudinem, de agendis rebus industriam, de conficiendis celeritatem, de providendis consilium subtrahunt, cunctaque furtivæ temeritati ascribunt. Nonnulli etiam ex Historicis invidiam quandam, malignitatemque præ se ferre videntur, cùm alicujus egregii facinoris falsam, & ab actoris mente, atque animo quàm maximè alienam causam reddunt, ut qui Catonem sibi

 propter-

propterea manum consciviſſe ferunt, ne in Cæſaris poteſtatem veniret, atq; ab eo ſupplicio afficeretur. Maximò præterea tunc Hiſtorici ducuntur errore, cùm omiſſa rerum geſtarum narratione in laudandis Imperatoribus ac militibus tempus conterunt. Suos quidem, ſuprà, quàm cuique credibile ſit, laudibus extollentes, hoſteis verò præter modum deprimentes, quod ſolis Poetis, utpotè numine afflatis Phœbæo permiſſum eſt. Quæ quidem Hiſtoricorum vitia, atque errores, quàm cautè ac diligenter LIVIUS hic noſter declinaverit, iis oppidò quam facilè datur intelligi, qui totum ejus Opus accuratè perlegunt. Cùm autem res ſint dicendi characteres, ὕψιλος, ἴσχνος, καὶ μέσος, hoc eſt, ſublimis, tenuis, & medius. Sublimem utpotè ſuo ſibi ingenio, ac tantorum bellorum materiæ maximè accommodatum ſectatus eſt. Multa ſunt præterea, quæ de ipſius Hiſtoriæ, deque Hiſtoricorum virtutibus, atque erroribus dici in præſentia poſſent.

Cæterùm ne hic vos diutius detineam, huic meæ orationi finem imponam, ſi tamen prius etiam inclyto Duci noſtro, quod honeſtiſſimum hunc locum nobis deſignaverit; & vobis, quod ſumma attentione me dicentem audiveritis, gratias egero immortales: quorum alterum quidem de laudibus ipſius compoſita, atque in lucem edita Oratione; alteris verò, hoc eſt, vobis aſſiduo labore, multisque vigiliis, modò noſtra opera uti non dedignemini, ſatis pro viribus facere conabimur. Nam ſive Græcè quiſpiam, ſive Latinè, ſeu in utraque Literatura voluerit erudiri, dabimus equidem operam, ut brevi, aut in alterutra, aut in utraque plurimum proficiat: cùm deinceps utriusque Linguæ probatiſſimos, ac præſtantiſſimos ſimus Auctores publicè interpretaturi. Treſimachus Chalcidienſis, & Leontinus Gorgias omnium primi Orationem numeris adſtrinxere: contentiones celeriùs currere, narrationes tardiùs ferri debent. Tarditatem Orationi, atque gravitatem Spondeus in primis affert, Celeritatem Peon, qui tribus brevibus, & longa, vel in principio, vel in fine, poſita conſtat. Dactylus utrique generi eſt accommodatus. Jambus & Anapeſtus demiſſo atque humili ſermoni aptiſſimi ſunt, proptereaque ipſis Comici maximè utuntur. Principia à longis ut plurimum ſyllabis facienda ſunt. Cavendum eſt tamen, ne Hexametri verſus principium initio dicendi, aut ſcribendi faciamus, quale dicitur reliquiſſe LIVIUS: Facturus ne operæ precium ſim. Quod

qui emendare voluerunt, Facturus ne sim, posteà scripserunt; sicut etiam finis Hexametri aut Pentametri in clausula vitiosus est. In quem Asinius & Brutus incidere, ùt Catoni placuit. Et Divus Hieronymus in Translatione Geneseos ait: Da mihi animas, cætera tolle tibi. FINIS.

Ianus Gruterus Inscription. Antiq. totius Orbis Romani Pag. mihi DCXCIII, Num. 15. ex Apiano & Scardeonio.

T. LIVIUS. C. F. SIBI
ET. SUIS
T. LIVIO. T. F. PRISCO. ET
T. LIVIO. T. F. LONGO. ET
CASSIAE. SEX. F. PRIMAE.
UXORI

Idem Loc. Cit. Pag. mihi DCCCLXXVII. é Scardeonio, aliisque.

V . F
T . LIVIUS
LIVIAE . T. F
QUARTAE . L
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI . ET . SUIS
OMNIBUS

Joannes Bodinus Andegavensis in Methodo Historica Cap. IV. quæ est in Penu Artis Historicæ Tom. I. Pag. mihi 50. 51. & 52.

Eadem reprehensione utitur Trogus Pompejus (ùt est apud Justinum) adver-

adverſus LIVIUM & Salluſtium, quod directas & obliquas conciones operi ſuo inſerendo, Hiſtoriæ modum exceſſerint. Nihil eſt enim, ut ait Cicero, in Hiſtoria pura & illuſtri brevitate dulcius. Sin conciones de LIVIO detraxeris, exigua fragmenta reſtabunt. quæ cauſa Caligulam impulit, ut Scripta LIVII & Imagines de Bibliothecis omnibus propè amoveret. Idque magis mirum debet videri, cùm Libro uno & quadrageſimo teſtatum reliquerit, ſe nihil præter Hiſtorias Romanorum ſcribere decreviſſe. De Salluſtio, quod ejus omnia ſcripta ferè interciderunt, non ita facilè judicari poteſt. Ex iis tamen quæ habemus, integerrimum Scriptorem, & rerum magnarum uſu præditum fuiſſe conſtat. ut enim Jugurthinum bellum verius ſcriberet, in Africam usque navigavit. liberè tamen de rebus judicat. quid enim liberius eſt, quàm in uno Cæſare & Catone Romanorum omnium illius ætatis collocare virtutem? At Thucydides Periclem; Sleidanus Franciſcum Regem, Ducem Saxonium, Bellajum, Alaſconem veriſſimis ac propriis laudibus extulerunt. comparationes tamen odioſas rejecerunt. Ac ſi quid eſt, quod cuiquam infamiam afferat, neceſſariis confirmant argumentis, aut obliquè rumoribus acceptum ferunt. Hoc verò commune illis eſt cum Guicciardino, Plutarcho, Machiavello, Tacito, ut multa multorum conſilia fraudesque quantumvis occultas in clariſſimam lucem proferant. Fuit enim Sleidanus Franciſci Regis interpres, & pro ſua Republ. legationes ſæpiſſimè ſuſcepit. Cùm autem præcipuè de Religionibus (ùt erat pius ac religioſus) ſcribere propoſuiſſet, non modò conciones directas & obliquas, ſed etiam libros utrinque de Religione ſcriptos, qua brevitate potuit, complexus eſt: id quod multis faſtidium parit. ſed homini antiquitatis ac rerum magnarum avido nihil debet moleſtum videri. eſt enim in noſtris Scriptoribus, Annonio, inquam, Monſtreleto, Froſſardo, Carterio magna farrago rerum leviſſimarum, in quibus tamen latet antiquitatis ac vetuſtatis imago non penitùs contemnenda; quam non reperias apud Æmylium, qui profitetur ſe multa prætermiſiſſe, quæ alii prodiderunt. Ejusmodi eſt etiam Hiſtoria Leonis Afri, Alvareſii, M. Gazi, qui maxima, mediocria, minima complectuntur, infinitaque rerum varietate aures hominum curioſorum explere poſſunt. Sed hæc rarius in Græcis àut Latinis, qui duntaxat urbanam aut militarem diſciplinam tractant, & quæ memorabili caſu quodam contigerunt. ùt apud LIVIUM Capitolii deflagratio in bello Sociali. apud Tacitum incendium illud, quod duodecim Urbis regiones abſumpſit. interdùm

dùm tamen prodigia planè incredibilia narrant, non. modò infimi, vèrùm etiam clarissimi quique Scriptores: ùt Cæsar ipse, qui bello Civili Tralibus statuas sudasse scribit; Vir alioqui Deorum & hominum contemptor. Sed in eo genere LIVIUS nimis religiosè dicam, an superstitiosè omnes superavit. nihil enim frequentius, quàm boves loquutos, scipiones arsisse, statuas sudasse, quod pluvio cælo frequenter accidit: Deum Annibali apparuisse, infantem semestrem triumphum clamasse: ut non immeritò Polybius ejusmodi Scriptores Tragœdos appellarit, qui cùm Annibalem è salebris expedire non possent, Deos è machina quadam accirent. quanquam Polybius de Religionibus nefariè scripsit. Illi venia digniores, quod superstitione præstat, quàm impietate obligari; & falsam quàm nullam habere Religionem. Est etiam LIVIUS aliquantò copiosior in Laudibus alienis. cùm enim P. Sempronium Civibus omnibus antetulisset, (in quo reliquis injuria fieri videtur) omnibus humanis à natura fortunaque bonis congestis instructum fuisse tradit. nec eo contentus singula copiosè amplificat à generis splendore, opibus, eloquentia, forma, ætate, animi magnitudine, disciplina militari. Furium verò Camillum in cælum usque; Africanum suprà cælum tollit: ut mirum videri non debeat, si Augustus Pompejanum appellavit: quod in Pompejo laudando satietatem explere non potuisset. At in reprehensionibus parcus est & gravis. ut cùm M. LIVIUS & C. Claudius antè censuram se mutuis accusationibus impeterent; hic ille: ibi fœdum certamen inquinandi famam alterius cum suæ famæ dispendio factum est. idem alibi de antiqua plebis in patricios reverentia: Hanc modestiam, inquit, animique altitudinem ubi nunc in uno inveneris, quæ tùm universi populi fuit? & de Calvino Campano: Improbum, sed non ad extremum perditum, qui mallet incolumi, quàm eversa patria dominari. Est autem quod in LIVIO miremur, dicendi varietatem. Interdum valdè copiosus est; interdum verò concisus. nam prioribus decem Libris CDLX. annos ab U. C. comprehendit. altera Decade LXXIIII. tertia XVIII. quasi seriò ad Historiam aggrederetur, reliquis decem & centum Libris CXCII. annos complectitur. neque enim ullo tempore populus Romanus à bellis conquievit, quin etiam multò plura gesta sunt ab exactis Urbe Regibus usque ad Appium Cæcum, quàm indè ad Cæsarem. Sed id factum opinor, quod veterum Commentarios, qui nascente Imperio pauci; florente innumerabiles extiterunt, in unum quasi corpus coaptavit. Cùm autem in eos incideret

cideret, qui melius scripserant, iis se totum addixit: ut videre est in Punico bello, quod quidem ad verbum de Polybio transtulisse videtur.

Franciscus Balduinus de Institutione Historiæ Universæ, & Ejus cum Iurisprudentia Conjunctione, Lib. I. quæ est in Penu Artis Historicæ Tom. 1. Pag. mihi 608.

Scio & memini maximos quosque & nobilissimos Historicos primas suorum Commentariorum paginas in Historiæ laude & commendatione consumere: sed dicant illi licet, quod in ea maximum & utilissimum esse putant, & Lectorem sapienter præmoneant, an quod est summum ac præcipuum prædicant satis? Si quis est qui cordatus inter eos & sine inani jactatione magnus fuit, fuit LIVIUS, soletque is esse nostris propter res Romanas & Linguam Latinam magis familiaris. Quale verò est ejus proœmium? Qualis præmonitio? Ad illa (inquit) mihi pro se quisq; acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibusque artibus, domi militiæque, & partum & auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primò mores sequatur animo: deinde ut magis magisque lapsi sint, tùm ire cœperint præcipites; donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias: indè fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Gravis profectò est & Romano Scriptore digna hæc præfatio: & Historiam Romanam lecturo utilis atque necessaria cautio est. Sed quàm tenuis tamen est hæc Historiæ commendatio. Si quid præ契 prætereà illius amplitudo & dignitas mereatur, consideremus. Quid igitur? Feret æquo animo LIVIUS, si dicam Polybium, quem sequi & imitari solet, magis hoc indicasse silendo. &c.

Idem Loco proximè Allegato. Pag. mihi 637.

Non reprehendo LIVIUM, qui quæ Græcè scripserat Polybius, Latinè scribit: suum licet Librum XXI. ex illius Libro Tertio propè ad verbum descripserit, & transferendo veluti κατάποδας sit interpretatus. Laudo potius quod eadem dicat de iisdem: Etsi miror eum tunc non laudare suum Auctorem.

Idem

Idem Loc. Cit. Pag. mihi 654. & 655.

Sed quod planè periit, nonne aliundè ſarciri & aliorum Libris compenſari poteſt? Nihil attinet nunc oſtentare ſuperſtites Bibliothecas, quæ nos benè ſperare jubent. Sed ùt Plinius ſcripſit, ſe ſuorum temporum Hiſtoriam orſum eſſe â fine Aufidii Baſſi; Sic dicere poſſum Herodotum â fine Prophetarum, Thucydidem â fine Herodoti, Xenophontem â fine Thucydidis. Hiſtoriæ Ro. primam partem Dionyſius præcipuè ſuſceperat, profeſſus ſe ejus Hiſtoriæ Scriptionem producere velle uſque ad initium primi belli Punici. Secundam Polybius anteà ſuſceperat. Poſteà LIVIUS tertiam potiſſimum explicare voluit. Etſi autem maxima horum Scriptorum pars nunc interierit, tamen poteſt & hæc lacuna repleri, & hoc ſarciri damnum. Tacitus non procul à fine LIVII ſuos Annales orditur, Marcellinus â fine Taciti, hoc eſt, â Principatu Nervæ, ùt Herodianus ab exitu M. Antonini, in quo deſierat Dio. Quid pluribus verbis talia ſucceſſionis continuæ exempla in aliis Scriptoribus commemorem? In re præſenti multò id commodius diligentiusque oſtendero. Nunc dico, ne tempora quidem Literis omnibus inimica potuiſſe nobis earum præſidia eripere, & Hiſtoriam ſic certaſſe cum barbarie, ut hæc illam opprimere non potuerit, ut huic illa minimè ceſſerit, deniq; ut hanc illa veluti in triumpho circumduxerit. Ne rurſus longior ſim, breviter delibabo tantùm poſteriora. Qualeſcunque reliquiæ nobis relictæ ſunt, (hoc enim dicendum iterum eſt) Hiſtoriam ſatis integram conflare utcunque poſſunt, ſi abs ſingulis Scriptoribus ſingula corrogando, omnia perveſtigemus, & quod ſinguli conferent, aptè colligamus atque conjungamus. Nam & diligentiam perquirendi, & artem quandam quæſitis rectè utendi, neceſſariam eſſe profiteor. Utraque verò ſi adſit, tùm certè magis atque magis admirabimur utrumque illud, quod anteà dicebam, hoc eſt, & veterum omnibus ſeculis Hiſtoricorum, qui in hoc genere ſcriptionis, tanquam in acie alii aliis ſuceſſerunt, & quaſi in decurſu lampada acceperunt abs decedentibus, continuam atque conſpirantem fuiſſe contentionem: & poſt tantam barbarorum temporum tempeſtatem, atque adeò literarum vaſtitatem, tantum eſſe reliquum veterum monumentorum. &c.

Idem Franciscus Balduinus de Institutione Historiæ universæ, & Ejus cum Jurisprudentia Conjunctione, Lib. II. quæ est in Penu Artis Historicæ Tom. I. Pag. mihi 675. & 676.

Dionysius & LIVIUS Decemvirorum, qui primi Romæ Legum ferendarum causa creati sunt, Historiam copiosè describunt, & Leges XII. Tabularum ab iis propositas esse narrant. Sed quænam eæ essent Leges, quidve iis Tabulis inscriptum esset, (quod certè negligendum minimè fuit) non exponunt. Unam aut alteram Legem fortassè recitant. Sed cur reliquas supprimunt? An igitur necessarium non erit Jurisprudentiæ subsidium, quæ quicquid potest, undique cogit & colligit, ut eam veluti lacunam repleat? Cùm Dionysium & LIVIUM nominavi: nominavi duos Historiæ Romanæ doctissimos, gravissimos, diligentissimos Scriptores, illum Græcum, hunc Latinum. Licet autem Dionysii, quod attinet ad res & tempora, quæ describit, diligentiam prætulero; tamen à LIVIO verba potius repetiero. Neque profectò minima Historiæ atque Jurisprudentiæ Romanæ sita vis parsque est in ipsis Formulis, quas LIVIUS religiosè recitat, Græci sua lingua exprimere, ne si vellent quidem, possent. Itaque miror tàm multos olim etiam Romanos, suam Historiam Græcè quàm Latinè scribere maluisse. Scio eos hoc egisse, ut à pluribus legeretur. Cicero pro Archia: Græca (inquit) leguntur in omnibus ferè gentibus: Latina suis finibus, exiguis sanè, continentur. Quare si res hæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus definiuntur, cupere debemus, quò minus manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare. Sed videndum etiam fuit, quàm non omninò Romana sit illa, quæ Græcè scribitur Historia, præsertim cùm, ubi de Jure aut Legibus agitur, tàm sit inops & propè dixerim inepta ac barbara Lingua Græca, quàm Latina tunc est facunda & diserta. Certè Catoni non placuit Albinus, qui Historiam Romanam Græcè scribebat. Credo magis placuisset Asinius ille Pollio, qui Græcam latinè scripsit, ût Suidas auctor est. Sed illud nunc dico, in Historicis rerum Romanarum Scriptoribus diligentiorem Legum latarum desiderari descriptionem: vixque ab iis, qui Græcè scribunt, eam præstari posse, cùm maxima Juris Romani pars vix ac ne vix quidem Græcè possit exponi.

poni. Quæ ratio facit, ut LIVIUM, Sallustium, Cæsarem, Tacitum aliquando legam lubentius, quàm Polybium, Dionysium, Diodorum, Plutarchum, Appianum, Dionem. Intereà tamen iterùm confiteri cogor, ne Latinos quidem Historiæ Romanæ Scriptores, mihi satisfacere in Legibus recitandis. Si LIVII & Taciti monumenta integra extarent, multum in hoc genere subsidii haberemus: omnibusque aliis ea præferrem, si togatam, civilem, urbanam, Historiam Roman. aliquis desideret: & tales Historicos propè retulero in ordinem & Collegium Jurisconsultorum. Potuit adolescens Tacitus & vidisse & audiisse senem LIVIUM: ùt & vidisse se ait in Britannia quendam senem, qui Julium Cæsarem in ea viderat. Certè Tacitus LIVIUM laudat, & fidei atque eloquentiæ nomine præclarum fuisse ait Libro quarto. Neque adeò multi anni numerantur inter finem Historiæ LIVIANÆ & principium Annalium Taciti: nempè quot inter mortem Drusi & Augusti interfuêre. Saltem agnosco in dissimilis Reipublicæ Historia contexenda quandam esse Similitudinem inter hosce duos clarissimos Scriptores. Neque puto alios tàm propè accedere ad Jurisprudentiam Rom. tantòq; propterea magis mihi acerbam esse fateor jacturam, quæ multos eorum Libros intercepit: & superstites reliquias Juris Studiosis lubenter commendo: neque temerè factum esse profiteor, quod duo ætatis nostræ nobilissimi Interpretes Juris, And. Alciatus & Æmilius Ferrettus, in emendandis atq; explicandis Taciti Annalibus multum operæ posuerint.

Joannes Antonius Viperanus de scribenda Historia, in Præfatione ad Antonium Perenotum Cardinalem, Archiepiscopum Mechliniensem; quæ est in Penu Artis Historicæ Tom. I. Pag. mihi 840.

Nec equidem me cum LIVIO conferam, aut Sallustio, prudentissimis & gravissimis rerum Scriptoribus.

Idem Loc. Alleg. Pag. mihi 841.

Ad hæc Scriptorum varietas in suo quæque genere laudabilis dissimiles habet laudatores & imitatores sui. Nam alii ubertatem LIVII, alii brevitatem Sallustii, alii Cæsaris elegantiam admirantur: & id quisque laudat præcipuè, quod se assequi posse confidit.

Christophorus Milæus de Scribenda Universitatis Rerum Historia, Lib. V. de Literatura; qui est in Penu Artis Historicæ Tom. II. Pag. mihi 352. & 353.

At TITUS LIVIUS, studiis Philosophicis (ea prima ætate tractarat) prætermissis, Historiam, quæ postulabatur, delegit: atque maximis laboribus, multiplici communium rerum usu & cognitione instructus, res P. R. ab ipsis temporum primordiis, singulari orationis ubertate, amplitudine, prudentia & consilio, excussis diligenter cùm Annalium chartis, tùm etiam cæteris Scriptoribus, qui in utraque lingua scripserant, C. & XL. Libris, ad hæc Augusti tempora plenissimè repetiit, ut SCRIBENDÆ HISTORIÆ LEX fuerit appellatus. Atque ita in quibus Romani cùm Græcis pares jam essent, Eloquentia & Poësi, tertium additum Historia.

Ubertus Folieta de Similitudine Normæ Polybianæ; ad Reinaldum Corsum Jurisconsultum eximium; qui est in Penu Artis Historicæ Tom. II. Pag. mihi 451.

Ejusmodi Varietatum plenæ sunt omnes Historiæ, ut T. LIVIUS, qui omnes res gestas P. R. ab ipsis Urbis initiis à compluribus Scriptoribus traditas ac dispersas in unum corpus redigendas, unamque & continuatam Historiæ seriem contexendam suscepit, in tanta scribentium varietate plurimum negocii habeat in veritate conjicienda; judiciumque suum sæpenumerò interponere cogatur, quæ narratio ad veritatem propiùs accedat. Quod judicium, & ipsum sæpè potest labi.

Cælius Secundus de Historia Legenda, ad Basilium Amerbachium; qui est in Penu Artis Historicæ Tom. II. Pag. mihi 600.

Historicorum sicut Oratorum, alii uberes, pleni, copiosi, in quo genere LIVIUS dominatur: alii subtiles, contracti, breves: qui sine ullis ornamentis monimenta solùm temporum, hominum, locorum, gestarum rerum notarunt, unam dicendi laudem putantes esse, brevitatem: cujusmodi sunt qui

qui hodiè Chronica, quæ vocant Annales, deſcribunt. Alii his interjecti, orationis leni quadam moderatione, laudem meruerunt; rebus abundantes, verbis pauciores, ſententiis tamen graves. Hoc genus mihi ſemper commoditate ac ſuavitate anteponendum (ut moderata omnia extremis) eſt viſum, Cæſar mihi videtur excellere, & Vellejus Paterculus: quanquam Salluſtius diverſis virtutibus Cæſari par eſſe videatur, & ex Græcis Thucydides. Nam Xenophon rhetorico penè more ſcripſit Hiſtoriam: in Græcorum tamen rebus non longè ab hac, quam probamus, ratione disjunctus. Inter eos verò, qui ſuperiorum illorum ſunt ætatem conſequuti, Cornelium Tacitum maximè legendum judico. Nam & in conſiliis explicandis diligentiſſimus fuit, & in cauſis perquirendis perſpicacisſimus; Principum verò artes, eorumque qui Principibus adſunt, nemo vidit acutius, nemo fidelius expoſuit. Diligentia par eſt ei Suetonius. Verùm in hujusmodi Vitis magnorum virorum deſcribendis, illud eſt incommodi, quod eadem ſæpè repetenda ſunt, quæ ſine tædio jacturaque temporis legi non poſſunt. Continuum igitur illud, quale vel Cæſaris eſt, vel Taciti, vel Paterculi, omni ratione commodius utiliusque. Atque hæc breviter de Hiſtoricis ipſis.

Juſtus Lipſius Epiſtolicar. Quæſtion. Lib. IV. Epiſt. X. Ioſepho Scaligero, Julii F. Oper. Ejusdem Tom. I. Pag. mihi 193. *Columm.* 1.

Non eſt antiquarius LIVIUS, fateor: ſed nec omnia in eo protrita, & à fæce vulgi. Vetuſtæ dictionis plura haud dubiè veſtigia exſtarent, absq; Correctorum audacia fuiſſet. qui peccare ſe putabant, niſi hoc peccatum in omnibus Scriptoribus peccarent. Venio ad te Prætorem, Scaliger, in aliquantis verbis, quæ interdicto Unde vi reſtituenda videntur, ex fide libri. &c.

Idem Epiſtol. Quæſtion. Lib. V. Epiſt. XX. Ægidio Uliegerio. Oper. Ejusd. Tom. 1. *Pag. mihi* 219. *Col.* 1.

Amo curam & induſtriam tuam in diſcipulis informandis. Mihi crede, qui tales iſtos è primaria nobilitate adoleſcentes ad rectam doctrinæ viam ducit, non ſolùm de ipſis benè meretur, ſed de univerſo genere humano. Nam ex hoc quaſi Seminario deliguntur, qui olim Urbes, provincias,

regna administrent. Atqui administratio fine prudentia esse non potest, nec prudentia fine doctrina. Sed in primis velim eos frequentes esse in Historia, nunc quidem in LIVIO, posteriùs in Sallustio, Tacito. quos â prudentia civili & præceptis fateri debemus LIVIO esse instructiores: sed huic ætati minimè aptos, propter adstrictam brevitatem.

Justus Lipsius Cent. I. Miscellan. Epist. XVIII. Lutetiam. Augerio Gisleno Busbequio, Cæsareo Legato. Oper. Ejusdem Tom. II. Pag. mihi 18. *Col.* 1.

LIVII variantes Lectiones ex Codice Puteani quas submittis, gratæ mihi: etiam utiles spero, post perfectum Commentarium Cornelianum, in quo unus nunc sum. Absoluto enim eo opere, libens sanè manum & limam adjecerim uberrimo Historicorum. Permittit jam valetudo: quæ non paullò melior, post iter Antverpiense & haustum auræ siccioris. Nam marina ista & palustris, nescio quomodo corpori huic non amica.

Idem Centur. III. Miscellanear. Epist. LXI. Nicolao Hacquevillio. Oper. Ejusdem Tom. II. Pag. mihi 147. *Columm.* 1.

Tertia (*Historia*) *Romana* est: in qua ubertim rerum & eventuum, eorumque insignium: & quæ plures Scriptores illustrarunt. O magnum, ô pulchrum imperium! & addo, diuturnum. ideoque non mirum si vitis factisque brevia illa & fugacia Græcorum superavit. *Græci præceptis valent*, (ait quispiam) *Romani exemplis*. Et hercules ita est. non fuit gens, puto non erit, quæ plura vel in militia vel in pace, laudis & virtutis suppeditabit. Itaq; ad hanc, mi Adolescens, ad hanc segetem veni, manipulos frugum collige, & in usum tuum reconde. Sed ut ordine fiat, ea ipsa dividatur trifariam: in *Veterem*, *Mediam*, *Novam*. *Prima* mihi est, â Regibus & Urbe Condita ad Augustum: *Media*, cùm immutato statu ad Principes ventum: *Nova*, cùm iterum mutato, sedes ipsa Principatus Byzantium est translata. In *Veteri* Scriptores Græci Latinique sunt, sed præcipui isti: *Dionysius Halicarnassæus*, T. LIVIUS, *Polybius*, *Plutarchus*, *Appianus*: quibus compendia adjungere liceat, *Velleii*, *Flori*, *Eutropii*, *Orosii*. Vellejanum laudabile fuit; sed potior pars periit. judicio & ordine tamen scriptum, & quod exemplar pleniori Chronologiæ sit

fit ad imitandum. Faciant huic parti *Fasti Romani à Carolo Sigonio* editi, & producti ad Augustum. At in *Media*, noster *Tacitus*, *Suetonius*, *Ammianus*, *Spartianus*, & adjuncti Cæsarei Scriptores: è Græcis autem, *Dio Cassius*, *Jo. Zonaras*, *Herodianus*, legendi. tùm & compendium *P. Victoris*, itemque *Eutropii*. Adde ad seriem temporum, imò & rerum lucem, *Onufrii Panuinii Fastos*, ab Augusto ad Justinianum diligenter & industriè consignatos. *Nova* superest. & in ea ferè Græci isti, *Zonaras*, *Zosimus*, *Procopius*, *Agathias*, *Nicetas Choniates*, *Nicephorus Gregoras*, *Michael Glycas*, *Georgius Cedrenus*: etsi hic ultimus quidem, anilium sæpè fabellarum Scriptor, & veri incuriosus vel ignarus. Judicio legatur tamen, dabit quod juvet.

Idem Centur. I. ad Belgas. Epistol. XCIII. Bruxellam. D. Georgio Austrio, Præposito Lovan. & Academiæ Cancellario. Oper. Ejusdem Tom. II. Pag. mihi 413. Colum. 2.

Quid, quod ipsum LIVIUM eò trahit Paullus Jovius? LIVIUS, inquit, gravissimus Historiarum Scriptor, de transitu Annibalis ambigens, non Graiis, sed Pœninis eum trajecisse memorat. Sed verè trahit, invitum & in alia omnia (mox dicam) palàm euntem.

Idem Politicor. Lib. III. Cap. II. Oper. Ejusd. Tom. IV. Pag. mihi 38. Colum. I.

Cumque iis, vel ab iis (*Hesiodo & Cicerone*) potiùs, Historicorum uberrimus T. LIVIUS Lib. XXII. Cap. XXIX. *Sæpe ego, inquit* (M. Minucius Rufus Magister Equitum,) *audivi, milites, eum primum esse virum, qui ipse consulat, quid in rem sit: secundum eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parêre scit, eum extremi ingenii esse.*

Idem in Notis ad Lib. I. Cap. IX. Politicor. Verbis: Eadem ad Civilem hanc partem utilissima. Oper. Ejusdem Tom. IV. Pag. mihi 126. Col. I.

LATINI sequuntur, quorum agmen CORNELIUS TACITUS mihi ducat. Antè LIVIUM? inquies. Non eloquentia, aut aliis virtutibus: sed

iis

iis quas nunc consideramus, Prudentiâ, & Judicii notis. Quis illo veriùs narrat, aut breviùs? quis narrando magis docet? In moribus quid est, quod non tangat? in affectibus, quod non revelet? Mirabilis omninò Scriptor, & qui seriò hoc ipsum agit, quod non agit. Nec enim Historia solùm est, sed velut hortus & seminarium præceptorum. Ut ii qui vestes acu pingunt, ingeniosè gemmas inserunt, sine confusione aut noxa formarum: sic iste passim sententias, serie narrationis nihil omissâ aut læsâ. Scaber tamen quibusdam & obscurus videtur, suone vitio, an ipsorum? Nam acutè argutèque scripsisse fateor: & tales esse debere, qui eum legent. Ideo Consiliariis magis Principum, quàm ipsis commendo: qui habeant hunc Sapientiæ simul & Prudentiæ verum ducem.

Alter esto C. SALLUSTIUS; omninò primus, si libros modò ejus haberemus. Sed Historiarum corpus illud totum periit: & ex his pauculis, admirari eum magis libet, quàm anxiè judicare. illud video, Thucydidi simillimum esse: & ideò quæ de illo dixi, dixisse hìc me puta. (THUCYDIDES: qui res nec multas nec magnas nimis scripsit, sed palmam fortasse præripit omnibus qui multas & magnas. Elocutione totâ gravis & brevis, densus sententiis, sanus judiciis: occultè ubique instruens, actiones vitamque dirigens, orationibus & excursibus pænè divinus. Quem quò sæpiùs legas, plus auferas: & numquam tamen dimittat te sine siti. *Hæc Justus Lipsius Loc. cit. Pag. mihi 125. Col. 1. scripsit.*)

Tertius est T. LIVIUS, magnitudine quidem & majestate operis antè omnes. Diffusus ille & placidus, in concionibus maximè disertus; & talis omninò qualem Fabius descripsit. Patavinitas ei objecta ab Asinio: id est, nisi fallor, sermonis quædam peregrinitas, nec tàm in verbis quàm stilo toto. Nos quoque supinum eum alibi, aut frigidum, imò ταυτολόγον agnoscimus: derivari libenter tamen in exscriptores hanc culpam. Judiciis sententiisque bonus est, etsi non frequens. quid refert? pro ipso loquitur docetque copia tot eventuum & exemplorum.

Sequuntur Scriptores duo, velut proprii Principum, & assiduè iis in manu sinuque habendi. Q. CURTIUS: qui me judice probus est legitimusque Historicus, si quisquam fuit. Mira in sermone ejus facilitas, in narrationibus lepos, astrictus idem, & profluens; subtilis, & clarus; sine cura ulla accuratus. Verus in judiciis, argutus in sententiis, in orationibus

bus suprà quàm dixerim facundus. Quod si varium magis argumentum habuisset; fallor, aut variæ Prudentiæ eximium magis specimen præbuisset. Sed Alexander, quid nisi bella?

C. CÆSAR res suas ipse digessit: compositè sanè, & pari modestia ac libertate. In stilo sunt quæ culpem, sine ejus tamen culpa. nam malam aliquam & alienam manum accessisse, satis mihi liquet. Prudentiam non è verbis ejus hauries, sed è factis: & maximè Militarem. Commentarii enim sunt, & nihil pollicentur præter nudam simplicemque narrationem.

Idem in Dedicatione C. Cornelii Taciti, auctis emendatisq; Commentariis Ejusdem Illustrati, Imper. Cæsari Maximiliano II. Aug. Germanico P. P. Pio Felici B. R. N. D. N. M. Q. Ejus. Pag. mihi VI. & VII.

Ut abstineam judicare de antiquis illis Fabio Pictore, L. Cincio, M. Catone, Valerio Antiate, Gellio, Licinio Macro, aliisque, quorum scripta vixerunt: ex iis qui superant, C. Cæsar laudatur in primis. Si ut disertus narrator; libens assentio. est enim ejus viri pura oratio, sine fuco ac calamistris ornata, vel Romanis vel Atticis Musis dignissima. sin ut perfectus Historicus; dubitare me dicam, cùm & nonnulli fidem ejus in Historia Civili requirant, & tertium illud ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν totum ei desit. Itaque ipse Cæsar, cæteroqui minimè sui contemtor, Commentarios inscripsit non Historias: & hoc ipso laudem veram meruit, quod falsam adfectare contempsit. Jam verò Princeps Historicorum audit LIVIUS. Si magnitudinem operis, & varietatem rerum spectamus, rectè: sed tamen (quod more majorum liceat) à LIVII lectione semper commotior surrexi, non semper melior aut ad vitæ casus instructior. Sallustius unus ex III. viris illis est, qui feliciter consecutus videtur hæc omnia, (*ad Delectationem, ad Fidem, & ad Vitam dicendo,*) & quem, si mei arbitrii res sit, in hoc lustro Principem Senatus Historici legere non dubitem. Nam cæteri deinceps minorum quasi gentium Historici quantum à superiorum ætate, tantum & à laude afuerunt. nisi quod admirabile est, quantum inter istos unus excellat, imitator Sallustii Corn. Tacitus, omni virtute antiquis pro-

ximus, longo quidem intervallo, sed tamen proximus: & si linguæ Latinæ esset eadem puritas, cætera sic perfectus, ut vocare illos ipsos antiquos in certamen possit dignitatis. Acer Scriptor, Dii boni, & prudens: & quem si unquam in manibus hominum versari utile fuit, his certè temporibus & hac scena rerum expediat. &c. *Et paulò pòst:* Accedit genus ipsum sermonis minimè sordidum aut vulgare, distinctum crebris & nescio undè ex abdito erutis sententiis, quas vel veritate vel brevitate vicem oraculi possis accipere.

Idem in Commentario in L. Annæi Senecæ Epistol. XLVI. Verbis: Aut T. LIVII. Pag. mihi 459.

Multa enim (T. LIVIUS) scripsit abolita, etiam Philosophica. Et certè libri Historiarum nec ex quadrante exstant.

Idem in Commentario in L. Annæi Senecæ Epist. C. Verbis: Quos non magis Philosophiæ. Pag. mihi 617.

Etsi enim (*Dialogi à* T. LIVIO *scripti*) Philosophiam tractant & promittunt; non tamen à Veteri studio LIVIUS abit, & Historias atque exempla crebra miscet.

Paullus G. F. P. N. Merula in Cosmographia Part. II. Lib. IV. Cap. XXXVI. Pag. mihi 952.

Quid de *Litteratis* dicam?

Urbs (Patavium) *magnis celebrata Viris: hac* LIVIUS *ille*
Historiæ Pater est genitus: servantur eodem
Illius ossa loco, statuis tituloque superbo;
Hic, ubi juncta foro, nullis fulcita columnis
Plumbea marmorei pulcrè stant tecta Palatî.
Hic etiam Paullus *Juris Legumque peritus,*
Et statuas alii meruerunt Urbis Alumni.
Hæc quoque Valerio *Patria est, qui Jasona laudat:*
Hæc Patria Asconio *&* Stellæ: *Prætoris in Arce*
Effigies quorum & titulos spectare licebit;
Atria Romanum referunt ubi picta Senatum.

De

De LIVIO canit etiam *Libro I. Epigrammatum* Martialis:

Censetur Apona LIVIO suo Tellus.

Leguntur & hæc ejusdem Tumbæ insculpta: *Anno Christi* CIↃ CCCCXIII. T. LIVII *ossa in plumbea capsula ad D. Justinæ ædem fuerunt reperta, & insigni pompa in Forum Judiciorum ad occidentalem partem reposita cum effigie ejusdem ænea & Inscriptione:*

V . F
T . LIVIUS
LIVIÆ . T . F
QUARTÆ . L
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI . ET . SUIS
OMNIBUS

T. LIVIUS *quarto Imp. Cæsaris anno Vita excessit, ætatis suæ* LXXVI. Item, quæ sequuntur, sub Veteri statua in antiquo Lapide:

Ossa tuumq; Caput Cives tibi maxime LIVI,
Prompto animo hic omnes composuere tui.
Tu famam æternam Romæ Patriæque dedisti,
Hinc oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat Patria hæc; &, si majora liceret,
Hoc stares totus aureus ipse loco.

Alia, quæ ibi ad Tumulum, in quo ipsa ossa, prætereo.

Isaacus Casaubonus in Præfatione ad Polybium Lycortæ F Megalopolitanum. Pag. mihi 28.

Polybius, situ & squallore obsitus, in tenebris jacet; Græcè nescientibus parte aliqua tantum sui notus, idque perperàm; parte alia, ne sic quidem, ille inquam Polybius, cujus in Philosophia doctrinam, in Moribus probitatem, in Historia prudentiam, Cicero, Strabo, Iosephus, Plutarchus, Deus bone, qui quantique viri! & optimus quisque veterum dilaudant, cujus fidem TITUS LIVIUS, ille Romanæ longè Princeps Historiæ, tan-

 topetè

toperè probavit, ut penè ad verbum libros illius integros verteret, atque iis pro suis uteretur.

Idem Loc. Cit. Pag. mihi 65.

E veteribus Romanis, qui usque in Græcorum ingeniorum comparationem sunt evecti, magnus omninò auctor est Crispus Sallustius: sed quem Polybius propter amplitudinem & varietatem subiecti, judicii rectitudinem, doctrinæ copiam quà civilium rerum, quà bellicarum: postremò propter illam quæ Græcis dicitur ἤθους διάθεσις, quæque in Historia vel maximè debet spectari, longè à tergo relinquit. quod si veritatem & libertatem judicii, hodierna ingenia ferre possunt; is profectò fuit Sallustius, & vità & scriptis, qui omnium libidinum servus, sic aliorum vitiis perpetuò irasceretur, quasi invideret. indè est illud trux & violentum dicendi genus, quo lectorem mirificè interdum afficit, trahit, rapit. Omitto dicere de ejus dictione, quam multi veterum valdè laudarunt, multi non adeò, quidam vehementer improbarunt. Magnus, Deus bone, auctor TITUS LIVIUS: lacteà quâdam ubertate dictionis divinitùs facundus, amans virtutum, osor vitiorum, rectus judicii, rerum togæ, rerum sagi, etsi non ex usu neque experientia, egregiè tamen peritus: denique, si quid judico, hoc solum ingenium (de Historicis loquor) Populus Romanus par imperio suo habuit. cæterùm tantus & tàm admirabilis Scriptor, ùt eloquentia Polybium facilè vincit, quod ingenuè fateor: ita aliis dotibus à Polybio non obscurè vincitur. nam ut de Libro Sexto nihil dicam, & id genus aliis Polybii digressionibus; & Tacticæ imperitiam est ubi deprehendas; quod nostri Commentarii Polybiani dicent: & in causis rerum assignandis, à sincero nostri judicio, præ nimia superstitione non rarò deflectens, aniles ineptias solidis rationibus, & certis illius demonstrationibus anteponit. illa quoque tàm frequens & tàm accurata portentorum enumeratio, annon eundem hunc anni illius morbum palàm facit? ut non abhorreat à veri fide, quod memoriæ proditum est à nonnullis, Gregorium Magnum Pontificem, Religionis Christianæ propagandæ studiosissimum, hac tanti Scriptoris ridicula superstitione offensum, ex omnibus Bibliothecis ejus Historias curasse tollendas.

Thomas

Thomas Dempsterus á Muresk in Paralipomenis ad Joannis Rosini Antiquitat. Romanar. Librum X. Cap. III. Pag. mihi 1010. Col. 2. in Fine.

Et qua idem ille LIVIUS optimus & eſt, & habetur Antiquitatis Magiſter, aliam ex Ejusdem libro ſecundo Decad. III. Sacramenti Militaris formulam tranſcribam.

Wilbelmus Godelevæus in Annotationibus in T. LIVII. Hiſtoriarum Lib. XXX. Verbis: Congruens clamor á Romanis. Pag. mihi 189.

Sic & Homerus Iliad. IV. præſtitiſſe Græcos modeſtia Trojanis canit; cujus ſignum vult eſſe ſilentium, quo, cùm in certamen prodirent, uterentur, cùm contrà magnus diſſonusque clamor in exercitu Trojanorum eſſet. Quod teſtimonium Homeri cum á Polybio lib. XIII. Excerptorum, in Deſcriptione hujus rei citetur, doctiſſimus Vir Petrus Victor. Lib. X. Cap. IV. Variar. Lection. exiſtimat, ad Hiſtoriam potius Polybii, quàm fontem ipſum LIVIUM reſpexiſſe. Sæpiùs enim, quàm videri velit, Polybium ſequitur.

Philippus Cominæus Commemoration. Rer. Geſtar. Dictarumque Ludovici XI. & Caroli VIII. Reg. Franciæ Lib. VII. Cap. XV. Pag. mihi 501.

Quæ ſumma prudentia, mea opinione, hujus Reipublicæ (*Venetæ*) eſt, quam multis omninò modis emuniverunt: non enim habent Tribunos Plebis ùt Romani, quorum perditioni cauſſam dederunt iidem, neque populi ulla auctoritas eſt, neque plebs conſulitur in rerum negotiis, ſed cum Secretariis omnia conficit Nobilitas: adhæc pleraque ſubditorum pars extranei ſunt. Quæ Romani in ſuis rebus peccarint, apprimè benè norunt: LIVII enim Hiſtorias didicerunt, & oſſa ſervant Patavii in Curia.

Caſpar Facius in Politica LIVIANA in Præfatione ad Lectorem. Pag. mihi 1. 2. 3. 4. & 5.

Optime Lector, reſiſte paullùm, Admonitoria quædam ad T. LIVII

Præfationem, quæ & ipſum Auctorem concernunt, & Ethicen ac Politicen ſpectant, per βιωφελεῖς γνώμας, ſeu vitæ conducibiles Sententias præmittam, ut liberem hoc crimine LIVIUM, quaſi non ſit ſententioſus, ùt ajunt, cujus una præfatio tot ac pluribus floſculis ſplendeſcit, & pauciſſimis verbis plurimas ſententias exprimit. Ecce tibi:

I.

Novi Scriptores aut certius aliquid afferunt, aut ſcribendi arte rudem vetuſtatem ſuperant.

Academico videtur LIVIUS uti temperamento, cùm in Præfatione Operis ſui dubitat, quodnam operæ pretium facturus ſit, ſi res Populi Romani ſcripſerit. Sanè modeſtiores fuerunt omnes illi, qui omnem veriti ſunt temerariæ definitionis ſubire notam: & fortè, fortaſsè, forſitan, circumſpectionis verba ſunt, quæ dubitationem ſapientis admittunt, & à præcipitio temeritatis diligenter præcavent; Quod etiam in Divo JOANNE deprædicat Theophylactus, cum ait: Vide obſecro & diligentiam Evangeliſtæ: Neque enim dixit affirmativè, *hora erat ſexta*; ſed ut minùs à veritate excidat, fermè ſexta, inquit, ſecurum faciens ſermonem. Itaque hoc moderamine adhibito, cùm certiora omnia ſe allaturum profitetur LIVIUS, tùm docet res ipſa, ſcribendi arte eum Veteres omnes ita ſuperare, ut ſplendore ſuo aciem omnium præſtringat. Qui enim teſtem AUGUSTUM Imperatorem & Cenſorem vivum producit, cùm partes adhuc vigerent, aut partium ſtudia ſupereſſent, quid ille incerti enarret? Qui in corruptis rerum geſtarum monumentis ex vetuſtis commentariis, ex annalibus priſcis, ex libris Magiſtratuum Latinis & Græcis, libris linteis, ſtatuis, Tabulis, lapidibus res geſtas excerpſit, quid ille falſi referat? Qui concionibus directis & obliquis Exempla Deliberationum, Conſiliorum, Legationum, Rituum, Morum, diſciplinæ Rom. congeſſit, quid ille diſſimulet? Qui Acta Regum, Conſulta Senatus, Scita plebis expreſſit, quid ille non obſervaverit? Qui cùm nondum prompta in adulationes erant ingenia, neque inſcitia Reipub. ùt alienæ corrupta fide nitebatur; cùm nondum halofin Romæ Nero decantaverat, nec dum Gothica & Vandalica rabies ex antiquitate reliquias disjecerat, nec tempus edax rudera conſumſerat; ſed qui ſtantibus adhuc Populi Romani rebus Hiſtoriam conſcribere aggreſſus eſt,

quid

quid ille non certiora omnia adferat? præſertim cùm haud ignarus eſſe potuerit opinionis alterius? Nam quia ad SENATUM & POPULUM omnia referebantur; licet procul accidiſſent, neceſſe erat ut non ſolùm nota eſſent omnibus, ſed etiam à multis ſcriberentur. Quod verò mala fide ex auctoribus quædam arguitur deſcripſiſſe, in hoc eandem cum *Ariſtotele* fortunam experitur: de quo alii. Unum addam, qui ſuperioribus temporibus mentionem faciunt *Annalium*, puta, *Q. Fabii Pictoris*, utique ipſius *Pictoris Annales* legerunt, & ſi quid perperàm aut falsò à LIVIO excerptum deprehendiſſent, de eo poſteros admonuiſſent. Nihil *Plutarchus in Rom. & de fortun. Rom.* Nihil *Plinius*, qui tamen non æquus gloriæ LIVIANÆ æſtimator, ùt *in præfatione ejus* videre eſt, *& lib.* 14. *c.* 13. item 10. *cap.* 24. Nihil *Dionyſius lib.* 1. *Solin. c.* 2. *Quintil.* 1. *c.* 10. *Feſt. in Puilia. Vict. de Orthogr. Arnob.* 6. *Agell.* 5. *Macrob.* 1. *Priſ. lib.* 10. *Diomed.* 1. *ca.* 4. qui omnes cum LIVIO faciunt. Os ergò impudens, quod poſt hos omnes laureolam in muſtaceo quærat! Scribendi autem arte tantum ſuperavit rudem vetuſtatem, ut unus omnium mortalium judicio dignus habeatur, cujus propè invicto calamo invicti Populi Rom. res geſtæ conſcriberentur. Inde T. LIVIUS *Tacito* eloquentiæ ac fidei præclarus inprimis; *Auguſtino* lacteo eloquentiæ fonte manat. Cætera de LIVIO teſtimonia ſuo tempore proferentur. Quam verò *Patavinitatem* & quibus in locis deprehenderit *Pollio*, non omnibus paſſim conſtare opinor. Equidem cum *Quintiliano* omnia Italica pro Romanis habeo. Non qui ab V. C. & pòſt ejectos Reges ac primam Xerxis in Græciam transfretationem tempora priſca venerer; tanta enim facta eſt mutatio Rom. linguæ ab ea tempeſtate uſq; ad 2. bellum Punicum, ut etiam tunc, qui antiquitatis peritisſimi erant, pleraque non niſi difficulter intelligerent: Sed quod aucto & exculto Imperio, aucta & exculta lingua LIVII tempore ita floruerit, ut ornatior & purior nunquam extiterit, nec locorum intercapedine, ecquantum enim Roma Patavio diſtat? ſed teneriorum aurium malaciâ differentiam aliquam admiſerit, quod certamen cum Pollione & LIVIO non noſtrum eſt componere. Nam quòd nonnemo heri ac hodiè LIVIO ſummo & facundiſſ. Hiſtorico, ignorationem Latinæ h. e. vernaculæ ac maternæ linguæ objiciat, id non ſine periculo totius Latii factum videri queat; ſtudio certè calumniandi non caret, quando nemo tale quid operis adhuc præſtitit, & nos omnes ſummo cum labore prima vix rudimenta linguæ Latinæ in Scholis addiſcimus,

non

non cum lacte materno sugemus. Porrò quod commotior surgas non semper melior ex lectione LIVII, id superficiarium te Lectorem arguet, qui in cymbis quidem sis, & maris historici trajicias planitiem, nihil tamen aut parum expisceris. Qui primus hoc effatus est *Lipsius*, sæpè monuit antea Historias legendas cum attentione & electione rerum, inque iis sententias & Exempla conferenda esse. Quot autem & quales sententias cum Exemplis contulit ex LIVIO *Machiavellus* & *Ciccarelli*? quot *Clapmarius*, quot alii? & nos hic etiam Symbolam nostram apponimus. Quin ergò commendandi *Taciti*, non contemnendi LIVII istud *Iscanius* scripserit nullus dubito. Quid quod si ad Historicam narrationem respicias, non est ejus proprium aliud, quàm res proût gestæ sunt referre? si quid aliud doctrinæ inserere velis, non Historicum agas, sed Informatorem: qua de re apertè monitos nos vult LIVIUS *lib. 9. c. 17.* Quod itaque de poëtis *Petronius*, ego de LIVIO pronunciarim: ipsum cavisse, ne sententiæ emineant extrà corpus rationis expressæ, sed intecto vestibus colore niteant. Advertamus potius, quia ingenium humanum semper incrementum recipit, laborandum esse, ut omnibus in rebus certiora investiganda suscipiamus, & linguæ proprietate quodlibet concipere atque enunciare studeamus, atque ita dicamus aliquid quod prius dictum non sit. Præterquam enim quod nihil ineptius, quàm fluctuare in singulis & nullius rei habere certitudinem, præsertim si nomen Philosophi aut Historici profitearis, quid obstat, quò minùs humani aliquid accidisse veteribus credamus, ut in ostendenda felicitatis viâ, rationis lumen caligine quadam interdum obductum in eis fuerit? Non loquor de fide nostrâ, quæ ad scientiam non pervenit, nisi quod quasi per speculum veritatem absentium contuemur: Sed incerta & dubitabilia sunt, quæ nec fidei nec sensus aut rationis manifestæ persuadentur auctoritate, & quæ in utramque partem nituntur firmamentis. Tale est quod Auctor noster deprehendit *lib. 7. cap. 6. 21. 47. 8. 6. 2. 21.* & alibi.

Hæc atque his similia certioribus indagata vestigiis, & commodâ oratione exornata, lucem singularem de novo accipiunt, & legenti cuivis ad minimum saltem verisimiliora incipient videri.

Idem Loc. cit. Pag. mihi 7. & 8.

In hoc tamen atque his similibus mihi potissimùm intendisse videntur Nobiles illi, quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, sed unius LI-

LIVII fama ab ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus Patavium perduxit. Nec enim putandum est, tot eos locorum intercapedines penetrasse, ut de summo & soluto pectore ea audirent, quæ ad focum enarrare concionalis quivis senex poterat, aut qualis olim demonstrandi modus erat: Ubi

— aliquis positâ monstrat fera prælia mensâ,
Pingit & exiguo Pergama tota mero.

Sed ad illa acriter mihi intendisse animum videntur, ut qui ex uno LIVIO Vitas maximorum Impp. & Mores totius Populi Rom. didicerant, sibi insuper persuadebant, eum etiam rectius novisse quibus viris & quibus artibus in bello ac pace tantum aut tale imperium pari & augeri, partum & auctum conservari possit. Ex quo illud assequi poterant, ut quasi in speculo exempla intuentes, quod salubre ac frugiferum sibi Reique publicæ esset, imitari possent; quod fœdum & inhonestum, vitare ac cavere discerent. Vita autem Romuli & sequentium Regum quæ fuerit, Coss. item ac Dictatorum & reliquorum Magistratuum ex lectione LIVII facilè deprehendemus: Artes etiam augendi & conservandi Imperii non obscurè discemus, si eundem quasi digito monstrantem attentiùs observaverimus, adeoque verissimum agnoscemus illud, si Romanorum Virtutes percurramus, nullam gentem potiorem; si Vitia, nullam deteriorem inveniri posse. Quod & de Atheniensibus refertur, eos si boni sint, Virtute omnibus præstare; sin mali, omnium deterrimos esse. Non autem somniamus in Rep. *Platonis*. Audiamus ergò LIVIUM, & ut civilia mella conficere possimus, ex LIVIO sententiarum flores delibemus, quorum gustus quovis Indicæ arundinis succo dulcior futurus sit; feliciùs certè collocabimus operam, quàm si intereà veluti formicæ Plinianæ aurum conveheremus.

Idem Loc. Alleg. pag. mihi II.

IV.

Ab initio absint Querelæ.

Querelæ sine temporum nota insigni ac censura quadam institui non possunt, cùmque hoc non sit Historici propriè, ideoque ab initio nec conqueri, nec judicium suum interponere vult LIVIUS, ne Censorem potius, quàm rerum gestarum Scriptorem agere videatur.

Idem Alleg. Loc. Pag. mihi 13.

In LIVIO posset alicui videri quædam simulatio, quasi qui nolit, cùm maximè invocet: Rhetores, opinor, vocant, Transitionem. Qui enim ubique Deorum facit mentionem, qui templa vota & dedicata, qui prodigia procurata, & cætera, tàm accuratè describit, quin ille non omnem aversetur religionis cultum verissimum est. Audiamus ipsum loquentem: (*T. LIVIUM Lib. XLIII. Cap. XIII.*) *Non sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil Deos portendere vulgò nunc credant; neq; nunciari admodùm nulla prodigia in publicum, neq; in Annales referri. cæterùm & mihi vetustas res scribenti, nescio quo pacto antiquus fit animus: & quædam religio tenet, quæ illi prudentissimi viri publicè suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quæ in meos Annales referam.*

Idem Loc. Cit. Pag. mihi 14.

Noster autem LIVIUS quàm tacitè Deorum reverentiam profitetur, tàm sanctè eorundem cultus describit, & ob oculos nobis ponit castè potiùs, quàm scitè coli Deos. Nobis quoque CHRISTIANIS exemplo est, quem in ore habemus DEUM, corde credendum ad salutem, siquidem veri adoratores Spiritu & Veritate esse velimus.

Carolus Stephanus in Dictionario Historico, Geographico, Poëtico, in Verbo: LIVIUS. Col. mihi 1177.

LIVIUS Historicus Patavinus, res Romanas miro artificio luculentoq; sermone perscripsit. Hieronymus ad Paulinum: Ad TITUM LIVIUM lacteo Eloquentiæ fonte manantem, ex ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse Nobiles legimus. Et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Hunc Cajus Princeps tanquam verbosum insectabatur: Pollio verò tanquam Patavinitatem redolentem: Quintiliano magnoperè laudabatur, eumque Herodoto comparat, in concionibus præsertim, suadetq; pueris ediscendum, ùt Ciceronis imitatorem. Conditus est in Urbe Patavina, cujus in hunc usque diem ossa ibi servantur honorificè.

Gerardus Mercator in Atlante Minore, Ditione Patavii, Pag. mihi 509. Col. 2.

Incolæ (*Urbis Patavinæ*) summis præditi sunt ingeniis, ad arma, littéras, omniumque virtutum studia prompti. Nobilitarunt Patavium ortu suo TITUS LIVIUS, Cn. Valerius Flaccus, L. Aruntius Stella, & innumerabiles alii. Academiam habet Patavium nobilem, quæ natales suos debet Carolo Magno Imperatori, vel, ùt aliis placet, Friderico II, adolescentiam Urbano IV. P. maturitatem Illustrissimæ Venetorum Reipublicæ. Videre ibidem est, Bibliothecas varias, Græcis Latinisque Libris abundè instructas, unam apud S. Joannem in Viridario, alteram apud S. Justinam, tertiam apud S. Antonium.

Gerardus Joannes Vossius in Tractatu, Ars Historica, dicto, Cap. V. Pag. mihi 32.

Et sanè Fabius, (*Lib. II. Cap. VI.*) optimus instituendæ pueritiæ artifex, Oratori futuro primùm Poetas vult à Grammatico enarrari, à quibus etiam incipi olim solere. Strabo, (*Lib. I.*) & alii (*Lucianus* περὶ γυμνασίων, *&* *Athenæus Lib. XII.*) testantur: mox verò idem adjici iis ab Rhetore jubet Oratores, atque Historicos. Inque Historicis minimè dubitat LIVIUM præponere Sallustio; non tantùm, quia candidior sit, ac Ciceroni similior; sed etiam, quia majoris sit Historiæ auctor. Quomodo neutiquam loqueretur, nisi ita credidisset, pueritiæ convenire Historias magis universales. Ac propterea neque dubitandum nobis, quin ad utrumque istoc in Historia respici debeat, quàm propè aliquis à Tullii dictione absit, & quanti temporis Historiam complectatur. Quæ cùm ita sint, ne illud quidem obscurum esse potest, pueritiæ commendari oportere eos, qui κατ' ἐπιτομὴν proponunt res in orbe gestas: ac præ cæteris, Sacras, Romanas, Græcas: adhæc generalem locorum notitiam, sine qua intelligi Historiæ non possunt. Cum quibus conjungi mox poterunt præcellentium Virorum vitæ; uti Cyri, Alexandri, Miltiadis, Phocionis, Aristidis, Scipionis, Catonis, Pompeii, Cæsaris, aliorum. Nihil verò absurdius, quàm lectionem istorum differre velle, usque dum aliquis Philoso-

phiæ gnarus fuerit. Nam quis non videt, primam illam ætatem multum memoriâ, parùm judiciò valere: ac iccircò ad Linguas addiſcendas per-idoneam eſſe; Civilis Scientiæ capacem non eſſe. Atqui utriusque Linguæ notitia hauriri debet ex Latinis Græcisque Scriptoribus: quos inter non infimus debetur Hiſtoricis locus. Imò, me judice, non aliundè ſuavius faciliuſque illa Literaturæ notitia comparatur: eoque, ubi quis in Terentio, Tullioque, mediocriter fuerit verſatus, optimè illis comites dabimus, Cæſarem, Nepotem, LIVIUM, Vellejum, Curtium, Florum, Juſtinum: ac ſimiliter pòſt mediocrem Græcæ Literaturæ notitiam admiſero aliquem ad Herodotum, Xenophontem, & alios, qui ad eorum dictionem proximè accedunt. Dixerit aliquis, per ætatem à multis perſpici tùm nondum poſſe τὸ ἠθικὸν, ac multò minus τὸ πολιτικόν. Verùm ſatis eſſe debet, quod iisdem poſteà, ubi hauſerint præcepta Sapientiæ Civilis, ſpontè propemodùm ſe ingeret, quod antè tempus tantoperè requirunt. Intereà verò, dum animus majora non capit, jucundâ Scriptorum illorum lectione multùm auxerit divitias utriusque ſermonis; & eâ Hiſtoriæ notitiâ, quæ in Polyhyſtore ſufficere poſſit, feliciter ſibi ad Civilem Prudentiam, & reginam illam Eloquentiam, munierit viam.

Idem Loc. Cit. Cap. XIX. Pag. mihi 96.

Quanquam nec Antiquorum (*Hiſtoricorum*) omnes unam viam (*Sententiis Hiſtoriis inſerendo*) inſtiterunt. Frequens enim earum uſus eſt Thucydidi, ac Salluſtio: parcus admodùm Dionyſio, & Cæſari. Mediam verò viam LIVIUS tenet. Hicne verò, an ille, vel iſte, ſequendus ſit nobis, præcepto tradi nequit: imò nec omnia omnes poſſumus, ac propterea ſuo ſe quisque pede metiri, ac genium ſuum ſequi debet. Interim etiam conſiderare oportet, utrum Commentarios, an juſtam & legitimam Hiſtoriam ſcribamus: in illis vix Sententiis opus: in hac magis requiruntur: non ſic tamen, ut Salluſtium potius ſequi neceſſè habeamus, quam LIVIUM. Nam ſententioſum illud ſcribendi genus plus quidem prodeſt, & afficit, imprimis viros graves, ac prudentes. (ſed non propterea ita ſcribere cogimur, cùm id non ſit de Hiſtoriæ natura: quod negare non poſſumus, dummodò Hiſtoriam conſideremus, ἄχρι ἂν καὶ μόνον ἔχῃ τὸ ἴδιον ἐντελές,

λὲς, λέγω δὲ τὴν τῆς ἀληθείας δήλωσιν. Lucian. de Scribend. Histor. Eoque, ùt dixi, spectandum cuique, quid humeri ferre valeant, & quò naturâ trahatur.

Idem Alleg. Tract. Cap. XXI. Pag. mihi 107.

Ad LIVIUM deventum, qui copia Concionum cæteros facilè exsuperat: eas omnes enumerare longum esset, nec opus, præsertim quia sunt, qui seorsim eas ediderint: aliquas verò è tanta multitudine excerpere necesse non est: imò hac parte, quod de Karthagine olim Sallustius, tacere de LIVIO satius puto, quàm pauca dicere.

Sed enim, dixerit aliquis, aliter sapiebat Trogus, qui eo nomine, uti Sallustium, ita LIVIUM quoq; culpavit. Nam, ùt apud Justinum (*Histor. Lib. XXXVIII. Cap. III. vers. XI.*) est: *Pompejus Trogus in LIVIO, & Sallustio, reprehendit, quod* Con*ciones directas, &* Or*ationes operi suo inserendo, Historiæ suæ modum excesserint.* (*In Editione* Matthiæ Bernecceri legitur: *Pompejus Trogus in LIVIO & in Sallustio reprehendit, quod contiones directas, pro sua oratione operi suo inserendo, Historiæ modum excesserint.*)

Sed facilè Trogo occurritur. Nec enim quasvis Orationes damnat, sed directas. At si obliquas admittit, cur directas damnet, causa satis gravis non est. Quid enim refert, utrum hoc, an illo modo dicatur, si idem dicatur? Exempli gratia, dicamne, Germanicum Cæsarem, cùm finis vitæ adesset, amicis dixisse, *Si fato concederet, justum sibi dolorem fore*, & ita deinceps: an verò, ùt apud Tacitum (*Annal. Lib. II.* Cap. *LXXI. Vers. II.*) est, dicam, *Adsistentes amicos in hunc modum alloquitur: Si fato concederem, justus mihi dolor esset*, &c. Et licebitne liberè conjecturam nostram de Trogo promere? Planè metuo, ne invidiâ compulsus dissenserit à LIVIO. Æquales enim fuere: LIVIOQ; res Romanas edente, exponebat Trogus res externas; uti Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum: res verò Romanas attingere contentus fuit. Quid mirum non erat, quod in Romanis ad LIVIANA adderet: nec illa viro facundia fuit, ut aliquid melius se dicere posse speraret. Ac ne externis quidem, quæ scriberet, Conciones illas adhibuit: sive quia desperaret, se ad LIVII gloriam posse pertingere: sive quia non unum, uti LIVIUS, sed tàm multa imperia tractanti, Concionibus supersedendum videretur, ne in immensum Historia excresceret. Ita quidem nobis vi-

detur. Sed certiùs omninò aliquid hac de re diceremus, si ipsius Trogi libri hodiè exstarent.

Verùm quid multis opus? num Historici illi, qui post Trogum vixere, Trogi potiùs, quàm LIVII, ac Sallustii, judicio accessere? minimè verò.

Idem Cit. Tract. Cap. XXII. Pag. mihi 112.

Sic igitur statuimus, Digressiones tùm delectare, atque ornare: tùm ea confirmare, quæ narrantur: quorum ille finis Historici est secundarius; hunc præcipuè sibi proponit: imò absque eo fine Digressio culpâ non carebit.

Hæc causa est, cur Historicorum nonnulli sedulò Digressiones refugiant. Uti à LIVIO factum videmus, cujus ista sunt verba Libro Nono: *Nihil minus quæsitum à principio hujus Operis videri potest, quàm, ut plus justo ab rerum ordine declinarem, varietatibusq; distinguendo Opera, & legentibus velut diverticula amœna, & requiem animo meo quærerem: tamen tanti Regis ac ducis mentio, quibus sæpè tacitis cogitationibus volutavit animum, eas evocat in medium: ut quærere libeat, quinam eventus Romanis rebus, si cum Alexandro foret bellatum, futurus fuerit.* Et tamen ne illa quidem Digressio planè extrà propositum est. Nam pertinebat ad virtutem Papirii Cursoris, nosse, an par fuerit futurus Alexandro Magno, si is cum exercitu in Italiam trajecisset.

Idem in Tract. Alleg. Cap. XXIII. Pag. mihi 118. & 119.

Officium Proemii minimùm duplex est. Prius est, ut significetur, qua de re Historia instituatur. Alterum, ut Lector attentus reddatur. Quibus tertium quandoque accedit, ut benevolentia captetur.

Et paulò post: LIVIUS tria hæc facit in Præfatione sua. Ac primùm Argumentum Operis indicat, cùm inquit: *Facturusne operæ pretium sim, si à primordio Urbis res Populi Romani perscripserim.* Attentum verò Lectorem reddit, cùm mox vocat *Res gestas Principis terrarum Populi.* Item cùm ait: *Cæterùm aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam Respubl. nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam serò avaritia luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus, ac tàm diu paupertati, ac parsimoniæ honos fuerit: adeò quantò rerum minus, tantò minus cupiditatis erat.* Quæ Operis instituti dignitatem commendant. Benevolentiam denique parit his verbis: *Etsi in tanta Scriptorum turba, mea fama in obscuro sit: nobilitate ac magnitudine eorum, qui nemini*

mihi officient meo, me consoler. Item cùm ait: *Ego contrà hoc quoque laboris præmium petam, ut me à conspectu malorum, quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper certè, dum prisca illa totâ mente repeto, avertam, omnis expers curæ, quæ scribentis animum, etsi non flectere à vero, sollicitum tamen efficere possit.* Suntque similia istis in eodem Prologo.

Præterea videndum, quæ Proemii virtutes sint, quæ item vitia. Optima sunt illa, quæ ex narrationis visceribus trahuntur. Qualia sunt Herodoti, Thucydidis, Dionysii, LIVII, Taciti, aliorum multorum. &c.

Idem in Tract. Cit. cap. XXIV. Pag. mihi 126.

Sed, ùt dixi, non transeundum ad partem aliam, nisi de priori, quod satis sit, dixerimus; nec ad priorem redeundum, nisi isti etiam parti sit satisfactum. Quæ omnia ratio ac prudentia moderari debet: ùt â LIVIO fieri videmus.

Idem Eod. in Tract. Cap. XXV. Pag. mihi 129.

Utrum Historiæ corpus continuum esse debeat, an rectiùs in Libros dividatur. De quo ita nobis videtur, si res una narretur, & simplex, neque ea materie ampla sit; uno commodè Libro comprehendi; ut â Sallustio factum in Catilinaria, & Jugurthina: sin materiem tractemus varietate & copiâ suâ diffusam; rectiùs in Libros dividi; uti fecit idem Sallustius in deperditis Historiarum Libris. Nam ut longissima via jucundiùs conficitur, si distinguatur spatiis quibusdam, ubi interquiescas: ita & minori fastidio Historia tùm scribitur, tùm legitur, si non amplum illud camporum æquor continuò percurratur, sed spatiis distinctis: hoc est, si Libro quoque ad finem perducto, animus fatigatus respiret, ac paullùm se colligat, priusquàm ad reliquam Historiam se conferat: Quæ res, & scribentem suscitat, novasque lasso vires suppeditat, ad reliqua eodem genio pertexenda: & legenti novam affert alacritatem, ad cætera quoque non somniculosè legenda. Itaque non unum, & alterum, sed universos Historicos hanc iniisse rationem videmus. Uti Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Dionysium, Diodorum, Cæsarem, Trogum, Curtium, atque alios: qui omnes, si amplior materies obtigisset, eam in certos Libros secuere. Imò LIVIUS Historiam universam in Decadas, has verò in Libros divisit: ut Sebastianus Maccius *de Histor. Lib. II. Cap. XXXII.* scripsit, & antè eum

defendit Cælius Rhodiginus *Antiquar. Lection. Lib. XIII. Cap. XXXIII.* idque hoc argumento, quod LIVIUS Decadibus Præfationes præponat. Sed non tanti hoc eſt, ut movere quemquam debeat. Nam verum quidem eſt Lib. XXI. & XXXI. præmitti quiddam Proëmii non omninò diſſimile. Sed undè ibunt probatum, idem feciſſe eum Libro XI. XLI. qui ἀκέφαλος, item LI. & cæteris, qui Decada incipiebant? Prætereà iſtiusmodi Præfatiuncula etiam præponitur, ubi Decadis initium non eſt: uti Libro Sexto. Quare omninò aſſentire malo Petrarchæ *in Epiſt. ad Joan. Boccacium*, Crinito *de Honeſt. Diſciplin. Lib. VII. Cap. XII*, Politiano *ibid. apud Crinitum*, Sigonio *Initio Scholior. in LIVIUM*, atque aliis, qui diviſionem eam, non à Scriptore, ſed Librariis eſſe, putant. Movet verò me illud, quod etiam iſtos movit: nempè quod Cenſorinus, Diomedes, ac Veterum alii, nunquam Decadum, ſed ſemper Librorum meminere. Nec aliter Florus in Epitome omnium Librorum LIVII. Ex qua etiam diſcimus, ſcripſiſſe Libros non ſolùm CXL. ſed CXLII. quod ipſum diviſioni iſti in Decadas adverſatur.

Idem Cit. Tract. Cap. XXIX. Pag. mihi 140. & 141.

Interim cavendum ne vitii hujus (*nimii Studii Ornatûs juncturæ, periodorum, numerorum, verborum, ſententiarumque,*) fuga incidamus in verba nimis vulgaria, aut rebus parùm idonea, periodos prælongas, compoſitionem aſperam atque hiulcam; qualis ſermo à Demetrio ἄχαρις vocatur. Quin plus etiam ornatus probarim, quàm Polybius adhibet. Sanè jam olim in eo Dionyſius Halicarnaſſeus reprehendit dictionis incuriam, & quod utatur comprehenſione verborum minus accuratâ. Polybio interim ignoſci debet, quia fieri vix poteſt, ut qui tantoperè, ac ab eo factum, de rebus ſollicitus ſit, is de verbis adeò laboret, quàm fortaſsè rerum dignitas merebatur. Imò ea eſt humani animi imbecillitas, ut ingentèm illam verborum curam rerum incuria plurimùm conſequatur. Ita obſervatum eſt à Viris doctis, Dionem multùm rhetoricari in præliorum deſcriptione; ſed eorum, quæ ad rem militarem requiruntur, exiguam oſtendere peritiam, propè dixerim nullam: Polybium contrà ληκύθυς pigmentaque illa oratoria aſpernari; ſed tantam in eo militaris diſciplinæ ſcientiam elucere, ut Tacticos ipſos poſſit provocare. Quare non de nihilo eſt, quod Diodorus

rus Siculus in Hiſtorico damnat nimium eloquentiæ ſtudium. Neque eo hæc à me dicuntur, quod Polybii dictionem horridiuſculam, & Martiam, commendem præ illa Herodoti, aut Xenophontis: ſed ita dictionis cenſeo habendam eſſe rationem,ut inprimis rerum habeamus curam: &,ſi in alterutro peccandum, Polybium potiùs ſequemur, quàm Theopompum, Simocattam, & ſimiles. Optimum verò fuerit, ſi modum teneamus, exemplo Herodoti, LIVII, & aliorum, qui ad hos proximè acceſſerunt. Nam neq; in iis eſt ornatus, quantus eſt Iſocratis, & ſimilium Logodædalorum, quem Hiſtoria planè refugit, ut diximus: Sed neque adeò exiguus eſt, ac in cauſis forenſibus, quæ ne Hiſtoriæ quidem nitorem requirunt.

Idem Alleg. Tract. Cap. XXX. Pag. mihi 144.

Etſi enim Thucydides, Dionyſius Halicarnaſſeus, LIVIUS, alii, Poeticis gaudeant vocabulis, ac loquendi formis: non tamen quævis ex iis,nec ubivis uſurpant, ſed magno hac parte delectu utuntur. Sanè longè plurima ſunt, quæ ſolis conveniant Poetis: qualia intellexit Lucianus de Scribend. Hiſtor. cùm damnat τοὺς ποιητικοῖς ὀνόμασιν ἐν ἱστορίᾳ χρωμένους.

Idem in Eod. Tract. Cap. XXXII. Pag. mihi 152.

Apud Romanos autem primitùs quidem Pontificum Maximorum cura fuit Annales ſcribere, Tullio *de Orat. Lib. II. ac de Legib. Lib. I.* & Macrobio *Saturnal. Lib, III. Cap. II.* teſtibus: poſteà verò alii quoq;, cùm Annales, tùm Hiſtorias ſcribere ſunt aggreſſi; ſed ſi Salluſtium, LIVIUM, Curtium, & Tacitum exceperis, ex iis quidem, quos habemus, quem Græcis æquiparare poſſis, invenias neminem. Nam Velleii, elegantiſſimi Scriptoris, pauca admodùm ſuperſunt: atque eorum honorem fœda adulatione in ſui ævi rebus non leviter offuſcavit. Cæſar verò Commentarios; Nepos, & Tranquillus,Vitas; non legitimam Hiſtoriam ſcripſere.

Gerardus Joannes Voſſius in Tractatu de Hiſtoricis Latinis. Lib. I. Cap. XIX. Pag. mihi 93. 94. 95. 96. 97. & 98.

TITUS LIVIUS Patavinus quin fuerit, nemo ambigit. Sed non æquè aper-

apertum, utrùm natus ſit in Apono vico, qui hodiè *Abano*: ut eo modo dicatur Patavinus, quo Maro dictus Mantuanus, quia Andibus natus, qui vicus in agro erat Mantuano. Qui Aponenſem LIVIUM faciunt, adferunt Martialis Lib. I. Epigr. LXII.

Cenſetur Apona LIVIO ſuo tellus.

Et ſanè unus hic locus prora & puppis iis videtur, qui in vico eo natum fuiſſe LIVIUM crediderunt. Qua in ſententia, ut intelligo ex Clariſſimo Pignorio, etiam eſt Guilielmus Ongarillius, Hiſtoricus Patavinus nec dum editus. Sed ſi LIVIUS Aponi natus à Martiale dicatur, idem dixiſſe credendus de Stella, & Flacco. Atqui obſtare videtur illud ejusdem Libri Epigr. LXXVII.

Flacce Antenorei ſpes & alumne laris.

Ubi in Antenoreo, hoc eſt, Patavino lare natum non obſcurè ait. Quare videndum, an non ab Apono fonte, qui celebratiſſimus erat inter aquas Patavinas, Aponam terram generatim dixerit pro Patavina: non pro Apono vico, cujus Martialis temporibus nullum fuiſſe nomen videtur. Eſtque in hac etiam ſententia ὁ μακαρίτης, Cluverius noſter in Italia ſua. Scripſit LIVIUS poſt quidem Auguſti triumphum de bello Actiaco, qui incidit in Annum Urbis IↃCCXXV, ſive Conſulatum Auguſti V, antè verò Cantabros ductu L. Antiſtii domitos, quod fuit Anno IↃCCXXX, ſive conſulatu Auguſti X. Hoc liquet ex verbis illis ipſius LIVII Lib. I: *Bis deindè pòſt Numæ tempora Ianus clauſus fuit; ſemel T. Manlio Coſ. poſt Punicum primum perfectum bellum; iterùm quod noſtræ ætati Dii dederunt, ut videremus, poſt bellum Actiacum, ab Imperatore Cæſare Auguſto, pace terra mariq; parta.* Satis conſtat ter ab Auguſto clauſum eſſe templum Iani, ſecundò quidem Anno Urbis IↃCCXXX, Cantabris devictis. Tertiò autem Anno ſequenti, ſive Conſulatu Auguſti XI. Cùm verò LIVIUS ſemel duntaxat ſua ætate clauſum dicat, quid apertius quàm ſcripſiſſe iſta, antequàm ſecundò tertiòque clauderetur. Quanquam verò ſub Auguſto quidem Hiſtoriam ſuam edidit, ſed eo diutius vixit. Quarto enim obiit Tiberii anno, ætatis ſuæ LXXVI, quo & Ovidius deceſſit Tomis: ut de utroque Euſebius in Chronicis teſtatur. Scripſit Hiſtoriarum Libros CXL, vel potiùs CXLII, ùt jam olim agnovit Petrarcha. Iis complectebatur res Romanas ab U. C.

usque ad bellum in Germania gestum â Druso, ejusque mortem. Ex illis soli supersunt XXXV. Nam secunda periit Decas, & quicquid sequebatur Librum quadragesimum quinctum. Cæterorum nihil habemus, præter argumenta, quæ Epitome LIVIANA (si argumentum Libri CXXXVI, & CXXXVII. exceperis) continentur, sive ejus Florus, sive alius est auctor. Libri CIII meminit Serenus Sammonicus, quo loco agit de carboni medendo:

Tertia namq; Titi simul & centesima LIVI
Charta docet ferro talem candente dolorem
Exsectum, aut poto raparum semine pulsum,
Infecti dicens vix septem posse diebus
Vitam produci, tanta est violentia morbi.

At qui nuper, tanquam LIVII genuinam, Libri XLIII. partem majorem ê veteri, ùt ait, Bibliotheca, primus juris publici fecit; næ ille fucum fecit auritis Midis; non illis, quibus Corculis esse datum est, & qui nórunt, quid æra lupinis distent.

Nihil hoc Scriptore est grandius, atque uberius. Vir disertissimus â Seneca in primo de Ira vocatur. Lacteam quidem ubertatem ejus prædicat Fabius Lib. X. Cap. I. Ibidem arbitratur, ùt Thucydidi Sallustium, ita Herodoto LIVIUM æquiparari posse. Quantò ille candidiùs, quàm Caligula Imperator, qui, Tranquillo teste, verbosum vocabat. Sed de Stylo etiam litem intentabat olim Asinius Pollio. Patavinitatem (*id est, quædam minùs Romanè dicta, ùt interpretatur Erasmus in Ciceroniano,*) in eo animadvertere se ajebat, ùt Fabius testatur Lib. VIII. Cap. I. Nimirum delicatum Romani hominis palatum videbatur sibi aliquid sentire, quod non usquequaque saperet genium Romani sermonis. At non audiendus est Keckermannus, quando hinc colligit, reprehensum ab Asinio esse sublimem LIVII stylum. Uti & cùm â Seneca propterea culpari putat Lib. I. de Ira, Cap. Ult. & de Tranquillitate. Cap. IX. Nam longè aliud & Fabium & Senecam velle, nemo diffitebitur, qui verba eorum attendat. Nec probare illa Lipsii possum, viri ab ingenii elegantia, & varia eruditione, quàm dictione laudatioris: *Nos quoq; supinum eum alibi, aut frigidum, imò &* ταυτολόγον *agnoscimus: derivaturi tamen libenter in exscriptores hanc culpam.* Cui & subscribere videtur Possevinus Bibliothecæ selectæ Lib. XVI. uti & judicium eorum sequitur improbantium, quod superstitiosè referat prodigia tàm multa: ùt boves locu-

locutos, infantes femestres triumphum clamâsse. Quæ sanè in Gentili laudem magis merentur, cùm qualemcunque numinis cultum ἀθεοτάτι oporteat præferre. Sed quid de istis dicemus, quibus ne bonæ quidem fidei videtur? Hi firmatum eunt sententiam suam verbis Antonini Cæsaris in Itinerario suo, ubi hæc legas: *Fano Volturnæ, cujus claris gestis invidit LIVIUS*. Eum verò ad locum hæc annotavit Annius Viterbiensis: *Quid sibi velit, quod ait, Cujus præclaris gestis invidit LIVIUS, equidem alii alia existimant. Dicam & ipse opinionem meam. Suetonius Tranquillus in Vita C. Caligulæ scribit, Paullulum abfuisse, quin ab omnibus Bibliothecis statuas & Scripta LIVII, deleret, qui illum, uti verbosum, & negligentem in Historia, carpebat. Est autem negligens is, qui supprimit, quæ referenda sunt; & verbosus, qui absq; probatione contradicit afferenti rationes, & auctores. Et his duobus peccavit LIVIUS in multis, ùt patet. Sed ex multis, quò ad fanum Volturnæ hæc exempla sint. Cælius Thuscus Lartes Fani juvit Romulum implorantem ab eo auxilium contrà Ceninenses, Crustuminos, & Latinos, & retulit triumphum. Et idem fecit contra Sabinos Galeritus Lucumo. Et ob id ipse primus posuit Prætoria Romæ, &, divisâ Româ in tres tribus, imposuit nomina, & tertiam partem dedit Thuscis. Ut clarè tradunt Propertius in elegiâ ad Vertumnum, & altera paullulùm præcedente, & Varro in l. de Lingua Latina, & Fabius Pictor de Origine Urbis Romæ, & Dionysius Halicarn. in II. Lib. & Mythici sub fabulæ Jani ejaculantis aquas sulphureas in Sabinos, ùt Macrobius in I. Saturnal. & Ovidius in I. de Fastis indicant. At lividus fuit LIVIUS, ut hìc notat Antoninus, qui, ut funditus extingueret Thuscorum fulgorem, & triumphos obnubilaret, ab eis partos, non à Romulo gestos; omninò etiam scribere unum verbum neglexit. Quod profectò invidissimi hominis est officium, & negligentis veritatem in Historia. Similiter fuit verbosus, quia absq; certo auctore, & probatione, dicit contra Varronem, quòd Lucerum nomen incertæ originis. Fabius enim Pictor, antiquior eo, ostendit ab Historia esse Etruscæ originis atque certissimæ. Rursus LIVIO antiquior & doctior Varro in I. de L. L. dicit esse certæ originis; à Lucumone Luceres dictos: idq; probat vetustissimis auctoribus, Iunio, & Tolumnio, Tuscarum Tragædiarum scriptore. Et item inexpugnabili argumento, quod Luceres est derivatio Etrusca à Lucumone, & non latina à luco Asyli, ut Pedianus, & Plutarchus in vita Romuli, turpiter in Grammaticâ Latinâ aberrantes, dicunt, quia lucus Latinè à luceo verbo per antiphrasim derivatur, & à luco Lucii, & Lucani, Latina derivatio est, & non Luceres, ut Linguæ Latinæ peritissimus Varro ostendit. Non est igitur mirum, si Cæsar excanduit irâ contra scripta LIVII, negligentia, & supprimentia, quæ clarissima erant: & eum appellavit jure verbosum, qui contrà Varronem afferen-*

ventem testes antiquissimos, & invincibilem rationem, verbosa solùm & anili loquacitate dixit, Lucerum nomen est incertæ originis. Et ideò, ut utamur regulâ B. Hieronymi, eadem facilitate LIVIUS, & omnes alii similes, contemnantur, quâ sine ratione, ac certo auctore, contrà doctiores solâ verbositate usi proferunt. Quum verò constet LIVIUM non ignorâsse, quæ Varro, & Fabius Pictor, & alii referunt, constat equidem illum non ignoratione scientiæ; sed malignitate naturæ in Historia neglexisse dicenda, & verbosè dixisse subticenda. Et ob id, uti Cajus, ita & Antoninus Cæsar, eum arguit invidiæ, dicens: Volturnæ præclaris gestis invidit LIVIUS. Hactenus, nimis profectò patienter, latrantem audivimus caniculam istam. Cujus omnia singulatim refellere velle, planè sit otio suo abuti. Sed mirari satis non possum, in sententiam suam pertrahere potuisse viros aliquot eruditos; eosque inter L. Joannem Scoppam Parthenopæum, qui Collectaneorum Lib. I. Cap. XVIII, sic scribit: LIVIUS, *Historicus luculentissimus, in primo ab Urbe Condita*: Eodem, inquit, tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt: Ramnenses à Romulo: à Tito Tatio, Titienses appellati; Lucerum nominis, & originis caussa incerta est. *Hæc LIVIUS. Non quòd (ut mea est sententia) Lucerum Originem ignoraret; sed perindè ac Gallus Cisalpinus, & Hetruscæ, Italiæque gloriæ invidens, conscripsit: quod Antonius Cæsar in suo Itinerario his verbis arguit*: Vulturna, cujus claris gestis invidet LIVIUS. *Et Cajus Caligula, Tranquillo in Caligulæ vita scribente, paullùm abfuit, quin statuas & scripta LIVII ab omnibus bibliothecis amoveret, tanquam verbosi & in Historia mendacis. Scius ergò erat LIVIUS, sed ut invidus omisit.* Hactenus Scoppa. Sed quid in mentem venit Scoppæ, ut se tueretur autoritate Cæsaris Caligulæ? quem ignorare non potuit similiter de Virgilio sensisse: imò & Homerum contemsisse. Sunt enim ista Tranquilli verba: *Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis. Cur enim sibi non liceret, dicens, quod Platoni licuit, qui eum è civitate, quam constituebat, ejecerit? Sed & Virgilii, & T. LIVII scripta, & imagines, paullum abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoverit, quorum alterum, ut nullius ingenii, minimæq; doctrinæ: alterum, ut verbosum in Historia negligentemq;, carpebat.* Ex eodem scimus, quid de abolendis Jurisconsultis sæpè jactârit: ac quale ejus de L. Seneca fuerit judicium. Quamobrem sanum neminem movebit auctoritas Caligulæ, qui, ut ejusdem Tranquilli verbis utar, *non minore livore, ac malignitate, quàm superbiâ sævitiaque, penè adversus omnis ævi homines grassatus est.* Quod verò ad Antoninum Imperatorem, quo & ipso se tuetur Scoppa, nusquam leguntur ea de LIVIO verba in genuino seu Antonii, seu Antonini, seu Æthici Itinerario, quòd primùm edidit Josias Simlerus, post-


ſteaque ex antiquis Codd. correxit, & commentario illuſtravit Hieronymus Surita Cæſarauguſtanus. Sed ſunt ea verba in Itinerario iſto, quod Annius Viterbienſis commentus fuit, ac cunctis obeſæ naris, ut germanum, obtruſit. Sanè iſtò ὑποβολιμαίῳ Antonini Itinerario nihil indoctius, atq; inſulſius. Quod & res clamat, & ubertim oſtenſum ab eruditiſſimo, ac, dum viveret, amiciſſimo mihi Philippo Cluverio in Italia ſua. Quare, cur vel propter Caligulam, vel ſuppoſititium Antoninum ſuſpectior nobis ſit LIVIUS, nihil ſanè cauſæ eſt. Nec magis movere debet Henricus Glareanus, vir variæ eruditionis, cum (*Præfat. in ea, quæ ad LIVIUM annotavit*) LIVIUM bellicoſæ Gallorum gentis res geſtas odiosè tractare, virtutesque eorum malignè elevare, conqueritur. Quod etiam Barthius facit Adverſariorum Lib. LX. in Auguſtini de Civitate Dei lib. I. Cap. VI. Quàm enim LIVIUS veritati ſtuduerit, vel ex eo conjecturam capere poſſumus, quòd in deſcriptione belli civilis ne Auguſto quidem in tantum voluerit gratificari, ut aliter res narraret, quàm factum ſciret. Audiamus, quæ Cremutius Cordus apud Tacitum dicat Annalium Lib. IV. *TITUS LIVIUS, eloquentiæ ac FIDEI præclarus imprimis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Auguſtus appellaret; neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nusquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpè ut inſignes viros nominat.* Verùm aliud alii telum intentant. Malevolentiæ enim eo reum agunt, quod Polybium, quem κατὰ πόδα ſæpè exſcribit, non alio dignetur elogio, quàm (Lib. XXX.) *haudquaquam ſpernendi auctoris.* Quam frigidam ſanè laudationem eſſe Fulvius Urſinus (*Notis in Polybii Legationes*) annotavit. Petrus Victorius eo putabat crimine liberari LIVIUM, quòd parciores olim in tribuendis fuerint elogiis. Qvod non negârim. Sed non id ſatis eo comparet, quod putabat id etiam ex Appulejo patere in Apologia: ubi quæſtorem publicum, qui coram adorat, non *ornatiſſimum* appellat, ſed *virum ornatum* vocare eſt contentus. Fortaſſè ut Scipio Gentilis putabat, Ordinis & dignitatis habuit rationem, quia, ut notum omnibus, primus in Senatum veniendi gradus erat quæſtura. LIVII verò locus omninò intelligi debet κατὰ λιτότητα, ut nequaquam aſpernandus auctor idem valeat, ac ſi Scriptorem dixiſſet ſummæ fidei & auctoritatis. Cui rei probandæ multa adferrem: niſi fusè hanc LIVIANORUM eſſe verborum mentem docuiſſet Caſaubonus in Collectis à ſe Polybii

Frag-

Fragmentis. Eloquentiæ ſtudioſo, præſertim tenella ætate, magis LIVIUM profore, quàm Salluſtium, Quinctiliani judicium eſt, Lib. II. cap. V. ubi ait: *LIVIUS à pueris magis legendus, quàm Salluſtius, & hic Hiſtoriæ majoris eſt auctor: ad quem tamen intelligendum jam profectu opus ſit.* Quod Fabii judicium carpit Barthius Adverſar. XLVIII. Cap. XIX. Putat, Salluſtium dici majoris hiſtoriæ auctorem: cùm ea non ſit annorum XXV. Ergo, inquit, legendum, *ſit hic hiſtoriæ major is eſt auctor.* Imò omninò *Tò hic* ad LIVIUM refertur. Et penè quæcumque eo capite adverſus Fabium diſſerit idem Barthius, ſane ἄῤῥητα ἀμείνω. Quantum ejus fuerit nomen cùm viveret, etiam docent hæc Plinii verba Lib. II. Epiſt. III. ad Nepotem: *Nunquamne legiſti, Gaditanum quendam, TITI LIVII nomine gloriáq; commotum, ad viſendum eum ab ultimo terrarum orbe veniſſe, ſtatimq; ut viderat abiiſſe?* Nempè, ut hac ipſa de re B. Hieronymus ad Paullinum ait: *Quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius fama perduxit.* Ac poſt ea idem ait: *Habuit illa ætas inauditum, & omnibus ſeculis celebrandum miraculum, ut tantam urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.* At mirificus Zelus fuit S. Gregorii, qui, ut S. Antoninus, & ex eo Jo. Heſſelius, ex utroq; Raderus ad Martialem tradit, LIVIUM propterea combuſſit, *quod in ſuperſtitionibus, & ſacris Romanorum perpetuò verſetur.* Sepulcrum LIVII, ut quidem Blondus, eoq; ex auctore Leander refert, Patavii fuit, ubi olim Junonis templum, ac nunc monaſterium B. Juſtinæ, quod tenent nigri monachi Benedictini. At hodiè oſſa LIVII magno in honore aſſervantur ſublimi loco curiæ majoris, ſive Prætorii ab Henrico Imp. exſtructi, ſed pòſt incendium à Venetis ſplendidius refecti. Seorſim verò oſtenduntur lingua & maxilla ejus. Sed brachium alterum non item. Cujus cauſam hæc Inſcriptio ibidem oſtendit: *Inclyto Alphonſo Arragonum Regi; ſtudiorum fautori, Reip. Venetæ fœderato, Antonio Panormita poeta, legato ſuo orante, & Matthæo Victurio, hujus urbis Prætore conſtantiſſimo intercedente, ex Hiſtoriarum parentis T. LIVII oſſibus, quæ hoc tumulo conduntur, brachium Patavii cives in munus conceſſere Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, XIV. Kal. Septembris.* Inſcriptiones quaſdam monumentorum, quæ LIVIUS poſuit, apud eoſdem, Blondum dico, ac Leandrum, reperies.

Sertorius Urſatus in Tractatu, Monumenta Patavina inſignito, Lib. 1. Sect. I. Pag. mihi 26. usq; 34.

Occidentem verſus (*Patavino in Prætorio*) poſitum eſt T. LIVII monumentum, proùt heic delineatum eſt. *Portenar. lib. 3. cap. 6.*


V. F.
T. LIVIVS
LIVIAE T. F.
QVARTAE L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS

LIVIUS] LIVIAM Gentem in numero plebejarum reponit Panuinius: Consules tamen habuit, & quidem clarissimos, Salinatorem, Dentrem, Drusum, Libonem cognominatos, Patavioque summum conciliavit splendorem, quod LIVIUM nostrum ediderit. De cujus Patria & Natalibus nihil referam; cùm & â proposito instituto recedat, & clarissimorum virorum innumera suppeditent testimonia, qui eum Patavinum, Genere clarum, Historiæq; parentem declarant: inter quos de ejus gloria hoc unum Plinii ad Nepotem plurimorum loco sufficiat. *Nunquamne legisti Gaditanum quendam, TITI LIVII nomine gloriaq; commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimq; ut viderat, abiisse?* Vixit Romæ usque ad Augusti decessum, cui summè gratus erat. Post ejus verò mortem honoribus annisque defessus, in Patriam reversus, publicis â Patavinis receptus fuit acclamationibus: ubi Tiberio Cæsare Augusto III. & Germanico Cæsare II. Consulibus, Anno U. C. DCC LXXI. â Partu Virginis XIX. Imperii Tiberii quarto, suæque ætatis LXXVI. é vita excessit. Corpus ejus haud procul â Concordiæ templo conditum fuisse, & saxum istud, & ejus ossa ibi eruta abundè confirmant. Id cùm Jacobus Cavacius Congregationis Divæ Justinæ Cænobita, ejusque Monasterii Historicus, fide & solertia eximius, fusè, ac sine fuco, è tabulario depromat, ipsius verba heic apponere opportunum existimavi.

Lib. 2. Epist. 3.

Hist. Cænob. D. Just. Lib. 5. Fol. 218.

Sed nos in Urbem revocat T. LIVIUS Romanæ Historiæ parens, & Patavinorum decus; cujus sepulcrum in nostro cœnobio repertum est. Ponè Abbatis ædes, ubi nunc valetudinarium est, antè annos quinquaginta effossus fuerat antiquus lapis cum epitaphio.

V. F.
T. LIVIUS
LIVIAE T. F.
QVARTAE. L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SUIS
OMNIBUS

 Hunc

Hunc Patres in vestibulum templi transtulerant, atq; LIVII imaginem appinxerant, quam situ exoletam Andreas Abbas nuper novaverat. Marinus Ludovici frater cùm sæpè ad eum diverteret, & aliquod negotium inferret disciplinæ Monachorum, statuit ponè Abbatis domicilium sibi ædiculam extruere. Hic dum pro fundamentis altius effoditur, apparuit vetustissimum pavimentum ex quadratis lateribus affabrè extructum. Eo diruto reperta est arca plumbea sexpedalis, qua hominis ossa continebantur. Accurrere ex Monachis aliquot, qui meminerant, vel acceperant à majoribus effossum ibi veterem lapidem cum LIVII epitaphio. Indè constans omnium opinio fuit, id esse LIVII Corpus. Rolandus Monachus de his actutùm admonuit Xiconem Polentonum egregium & eruditum civem; qui cùm universa lustrasset, in Prætorium rediens, celebriorem apud cives de LIVII corpore opinionem fecit, mox eò præstantiores aliquot secum traxit. Quidam prævenerant, & ex ossibus fragmenta diripiebant. Id quasi ad æmulationem reliquiarum Sanctorum Dei impiè factum, movit Vicarium Abbatis, ut de comburendis LIVII ossibus cogitaret. Cœperat jam malleo craneum diffringere, cum negotiis quibusdam gravioribus è Cœnobio evocatur. Vix abscesserat, cùm Rolandus rogatus à Nobilium virorum turba, quæ confluxerat, arcam, & ossa T. LIVII Patriæ dono dedit: Proceres ac si viventem LIVIUM amplecterentur, plumbeum tumulum extulere. Libet Illustres viros recensere, qui humeros submiserunt. Alterum arcæ caput extulit Andreas Dandulus Patricius Venetus, alterum Polentonus, medium subiere Palamedes (Palaminus vulgò) Vitalianus, & Peraghinus Peraga Aurati Equites, Alexander de Doctoribus Io. Franciscus Capilisteus, & Nicolaus Porcellinus Iurisconsulti. Sequebantur feralem pompam Zacharias Trivisanus Prætor, & Leonardus Mocenicus Præfectus, mox quicumq; Litterarum studio, vel Patriæ charitate tenebatur. Funus delatum est per frequentiora Urbis loca in Prætoris regiam, donec Publico decreto statueretur, qui optimi civis memoriæ satis prospici posset. Quorundam sententia fuit, ut apud Fanum Sancti Clementis, qua forum respicit, publico ære Cœnotaphium T. LIVII è marmore excitaretur. Quidam optimates privata pecunia LIVIO multò nobilius monumentum pollicebantur, si propè eorum ædes liceret ipsius LIVII ossa transferre. Duo potissimùm ad eam rem contendebant, Ludovicus Buzzacarinus eruditus ac dives admodùm, & Henricus Scrovinius Eques. Attamen publicæ in LIVIUM pietati decere visum est, ipsius ossa in augustissimam aulam Prætorii referre, & antiquum lapidem cum Epitaphio adjicere. Hæc Cavacius.

Blond. Flav. *Ital. Illustr.* Theod. Zuin. *in Methodo. Apod. Lib.* 3. *Fol.* 273. Paul. Merul. *in Cosmogr. Ital. Part.* 2. *Lib.* 4. Gerard. Voss. *in Adnot. ad Lat. Hist.* Scard. *lib.* 1. *Class.* 3. Porten. *lib.* 3. *cap.* 6. Pignor. *in Orig. Pat. Fol.* 124. Tomasin. *in Vita Livii Fol.* 52.

cius. Uberius totam Historiam complures alii hoc loco persequuntur; quos Lector inspicere potest.

Ad publicæ voluntatis decretum loco selecto, ossa LIVII occidentem versus in Prætorii pariete supra ostium, qua nunc Sanitatis officium, ut vocant, aditur, locata fuere: eaq; sub rudi simulacro, & ab ejus effigie omninò dissimili, hoc epitaphio, â Leonardo Justiniano Patavii tunc Prætore addito, condecorata fuere. Idem ibid. Cap. 9.

OSSA
T. LIVII PATAVINI UNIUS OMNIUM
MORTALIUM JUDICIO DIGNI CUJUS
PROPE INVICTO CALAMO INVICTI P. R.
RES GESTAE CONSCRIBERENTUR

Anno M CD LI. eximium quodpiam LIVII monumentum expetens Alphonsus Arragonum Rex, per Antonium Bevatellum Panormitanum Legatum suum, Poetam insignem, â Patavinis brachii os impetravit. Eodem tempore LIVII Maxilla, æneo orbe clausa, fornici Archivi Civitatis nostræ appensa fuit; ubi & hodiè spectatur. Suprà ostium verò, ubi ossa reposita fuerunt, illa parte, qua Palatium respicit, tale positum fuit monumentum.

INCLITO ALPHONSO
ARAGONUM REGI STUDIOSORUM FAUTORI
REIPUBLICAE VENETAE FOEDERATO ANTONIO
PANORMITA POETA LEGATO SUO ORANTE
ET MATTHEO VICTURIO HUJUS URBIS
PRAETORE CONSTANTISSIMO INTERCEDENTE
EX HISTORIARUM PARENTIS T. LIVII OSSIBUS QUAE HOC TUMULO CONDUNTUR BRACHIUM PATAVINI CIVES IN MUNUS CONCESSERE ANNO CHRISTI M CCCC LI
KIII. KAL. SEPTEMBRIS

Regis autem desiderium mors antevertit; Brachium namque istud â Panormitano vix Neapolim delatum est, cùm Alphonsus fatis concessit. Illud itaq; Panormita religiosè custodivit, ac in deliciis habuit dùm vixit. Eo mortalibus erepto, cùm Jo. Jovianus

Pontanus publici muneris, quo fungebatur, à Secretis Regni successor ipſum quoque brachium obtinuiſſet, exiguo id tumulo, extrà delubrum à ſe erectum, ſub tali inſcriptione condidit.

Pignor. in Origin. Pat. Cap. 17.

T. LIVII HISTORICI BRACHIUM QUOD OLIM ANTONIUS PANORMITA A PATAVINIS IMPETRAVERAT JO. JOVIANUS PONTANUS MULTOS POST ANNOS CONDIDIT.

Monumentum verò LIVII, quod in D. Juſtinæ æde conſervabatur, Anno M D XXXXVII. in Prætorium unà cum ipſius oſſibus fuit translatum; ubi noſtra ætate conſpicitur. Apici ejus additus fuit vultus ê marmore, qui penes Alexandrum Baſſanum Patavinum ſervabatur. Ænea utrinque acceſſerunt ſimulacra; ê parte dextra Æternitatis, ê ſiniſtra Minervæ; ſub primo Tiberis, ſub altero Medoacus excurrit: inter utrumq; fluvium Lupa Romulo & Remo ubera præbet. Subjectam his ſimulacris tabulam æneam Lazarus Bonamicus Baſſanenſis, vir doctiſſimus, politiorum Literarum in Gymnaſio tunc Profeſſor celeber, hoc Epigrammate decoravit.

Oſſa, tuumque caput cives tibi, maxime LIVI,
Prompto animo hic omnes compoſuere tui.
Tu famam æternam Romæ, Patriæq; dediſti,
Huic oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat Patria hæc, & ſi majora liceret,
Hoc totus ſtares aureus ipſe loco.

Inſcriptionem porrò idem ſubdit.

T. LIVIUS
QUARTO IMPERII
TIBERII CÆSARIS
ANNO VITA EXCESSIT
ÆTATIS VERO SUÆ LXXVI.

Ceterum ne ſummæ erga clariſſimum Civem obſervantiæ teſtimonia deficerent, etiam ſuprà Prætorii oſtium, ſub magna ſtatua marmorea librum apertum tenente, manumque ori admovente cum hoc Symbolo:

PARVUS IGNIS MAGNUM SÆPE SUSCITAT INCENDIUM.

Majores noſtri hoc monumentum ſtatuerunt: T.

T. LIVIUS PATAVINUS
HISTORICORUM LATINI NOMINIS FACILE PRINCEPS CUJUS LACTEAM ELOQUENTIAM ÆTAS ILLA QUÆ VIRTUTE PARITER AC ERUDITIONE FLOREBAT ADEO ADMIRATA EST UT MULTI ROMAM NON UT URBEM RERUM PULCHERRIMAM AUT URBIS ET ORBIS DOMINUM OCTAVIANUM SED UT HUNC VIRUM INVISERENT AUDIRENTQUE A GADIBUS PROFECTI SUNT. HIC RES OMNES QUAS POPULUS ROMANUS PACE BELLOQUE GESSIT QUATUORDECIM DECADIBUS MIRA STILI FELICITATE COMPLEXUS, SIBI, AC PATRIÆ GLORIAM PEPERIT SEMPITERNAM.

Veterem LIVII inſcriptionem in aula Prætorii poſitam, aliamque in ædibus Capiliſteorum ad Sanctum Danielem, ſuo loco expendendam, minimè ad LIVIUM pertinere, his verbis demonſtrare conatur ingenioſiſſimus Pignorius: *La Inſcritione ſi come l' ho per antica, coſi non credo, che appertenga al noſtro T. LIVIO. Il mio argomento è, che T. LIVIO ſcriveva* SIBE *&* QUASE, *non* SIBI *&* QUASI, *& coſi Aſconio Pediano, come racconta Quintiliano nel libro primo à capi VII. delle ſue Inſtitutioni Oratorie, & queſta ò ſimile peregrinità di ortographia, e di voci, & forſe di elocutione era la Patavintà, che Aſinio Polione haueua oſſervato in LIVIO.* Quo quidem argumento LIVII monumento nequicquam decedere puto: etenim Aſinius Pollio, non ut ſtyli elegantiam extolleret, ſed ut formam dicendi irrideret, acerbè dixerat, LIVIUM ſibi videri *Patavinitatem ſapere*: ùt benè Patriæ ſtudioſiſſimus Tomaſinus obſervavit. Pub. Terentius etiam, qui Tranquillo teſte, *inter finem ſecundi belli Punici, & initium tertii natus eſt & mortuus*, multò antè LIVIUM, in Eunucho loco SOLI ſcripſit:

In Origin. Patau. cap. 17.

In Vita LIVII cap. V.

Act. 5. Scen. 6.

—— —— *Mihi ſolæ ridiculo fuit.*

Quam dicendi formam obſervavit clariſſimus Claravallenſis Comes Gaſpar Scioppius, qui in Patria noſtra ſibi gratiſſima aliquamdiu vixit, diemque nuper clauſit extremum. Quid apud Quintilianum clarius? *Non E quoq; I loco fuit: ut Menerua, & Leber, & Mageſter, & Diioue, & Vejoue, pro Diioui, & Vejoui?* Adde Lapides

Suſpectar. Lect. Lib. I. Ep. I.

Inſtit. orat. Lib. I. Cap. 4.

des antiquos minimè Patavinos; in quibus SIBE pro SIBI obser-
Fol. 958 *num.* I. vatur. Talem è Romanis descripsit Gruterus.

DIS. MANIB
M . VINICI. M. F.
SALVIARI
VIXIT. ANN. XXXII
MENS. VI
VINICIA . HELPIS
PATRON. ET
CONJUGI
INDULGENTISS.
ET. SIBE

Lit. T. De Nom. Imposit. T.] LIVII prænomen TITUS est; vel quod Festo auctore, *Tituli milites appellarentur, quasi Tutuli, quod Patriam tuerentur, undè & Titi prænomen ortum est*; vel à Sabino nomine, ut putat Valerius, *De Nom. Rom.* quem Sigonius, & Panuinius secuti sunt.

De Antiq. Nom. LIVIAE T. F. QUARTÆ L. HALYS] Hæc quarta LIVII filia fuit, ut jam observavi: &, ut docet Panuinius, LIVIA T. F. *De Antiq. Nom.* QUARTA nupsit L. HALY. Sic enim credo cum Scardeonio *Lib.* 1. *Clas.* 3. hæc explananda esse: non autem LIVIÆ T. F. QUARTÆ LEGIONIS HALYS; ùt teste Scardeonio Blondus Flavius de Italia *In* March. Tarvis. Illustrata censuit. Scardeonius enim verè affirmat, quod Legio non sola litera L., sed LEG. in monumentis exprimebatur; & quod Legio quarta non Halys, sed Scythica erat dicta; ùt in quodam ex nostris Epitaphiis, in vico Putei Vitaliani sito, suo tempore declarabimus. Sitne verò L. HALYS ille, qui & L. MAGIUS appel- *In. Epist. Lib.* 5. latur, gener T. LIVII, Socerique causa laudatissimus Rhetor, de *Contros.* quo Seneca, prudens sileo, cùm certi nihil habeam. Eundem *Loco Citat.* tamen esse Scardeonius asserit: Quod autem LUCIUS MAGIUS & HALYS appelletur, minimè absurdum videri debet: cùm id ferè civibus Romanis conveniat, ut tribus nominibus inscribantur. Dictus autem est HALYS ab HALY fluvio & cognomine Hispa-

no,

no, undè fortè profectus erat. Pro sententiæ suæ fundamento Epitaphium Saguntinum, ab Achille Statio Lusitano receptum, sed mutilum affert: quod ut integrum habeatur, sic legendum ex Grutero: Fol. 778. num. 2.

V. F.
C . GRATTIUS
HALYS . SIBI . ET
GRATTIÆ . MYRSINI
UXORI : KARISSIM
ANN . XXXXVII
SIBI . ET . SUIS

CONCORDIALIS.] Ex hac voce ea semper mihi fuit opinio, Templum Divæ Justinæ non fuisse ædem Iovis, in qua Cleonymi Lacædemonii spolia appensa fuere, ùt Blondo Flavio placet; nec Martis aut Junonis, ùt tradit Paulus Merula; sed Concordiæ. Non enim unum hoc saxum habemus, quod Concordialis Dignitatis testimonium præbeat, nempè Sacerdotis Deæ Concordiæ, sed alia etiam, quæ hoc ipsum confirmant. Concordialis autem Sacerdos teste Scardeonio, cui lubens subscribo, Patavii fuit magnæ Dignitatis & æstimationis; qui nempè præerat Templo ab Antenore erecto: in quo forsàn, postquam In. Ital. Illustr. Loc. cit. Cosmogr. Part. 2. Lib. 4. Scard. Loc. cit.

—— Urbem Patavi sedesque locavit Æneid. 1.
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaq; fixit.

Et quoniam de Cleonymo mentio incidit, non possum prætereire festivum navium certamen, quod singulis etiamnum annis apud nos tamquam Urbi peculiare celebrari in flumine solet, originem haud dubiè sortitum ab illo, quod fusis Cleonymo Duce Græcis, Patavii ob publicam lætitiam fuit editum. Et hinc ait LIVIUS: *Patavii monimentum navalis pugnæ eo die, quo pugnatum est, quotannis solemni certamine navium in flumine oppidi medio exercetur.* Undè & mihi persuadeo eandem pugnandi formam retineri. Parvæ Hist. Lib. 10.

enim

enim naviculæ, ſex robuſtiſſimorum remigum impulſu incitatæ, ex adverſo ſibi committuntur; in prora viri lanceis armati, aſſerem, denſiſſimis clavis infixis munitum, ſcuti loco prætendentes conſiſtunt; qui validisſimo impetu tamdiu in ſe mutuò irruunt, dùm alteruter in aquas dejiciatur. Hoc autem celebre ſpectaculum diebus feſtis Pentecoſtes plerumque peragitur.

PATAVI] Vox iſta, quæ loco Patavii heic habetur, monumenti hujus antiquitatem eruditiſſimo cuidam viro ſuſpectam reddit; quod nec publicè profiteri eſt veritus. Verumenimverò facili negotio mihi dubium tolli videtur; cùm Virgilius ipſe, qui T. LIVII temporibus vixit, *Patavi* loco Patavii ſcriptum reliquerit: undè quidni hoc etiam in monumento toleretur?

In Origin. Patav. cap. 17. De capite verò ſupra LIVIANUM hoc monumentum poſito, quod Pignorius, Cn. Lentuli Marcellini effigiem referre putat, *In Vita Liv. Cap. 10* conſulatur eruditiſſimus Tomaſinus.

Idem Loc Cit. Lib. I. Sect. V. Pag. mihi 201 *usque* 205.

In fornice veſtibuli, (*Domus vulgò Capliſteæ ſive Capiliſteorum*) qui aream proſpicit, dextram verſus monumentum hoc ſemirutum legitur:

[T. LIVIUS. C. F. SIBI. ET]
SUIS
T. LIVIO. T. F. PRISCO. ET
T. LIVIO. T. F. LONGO. ET
CASSIÆ. SEX. F. PRIMÆ
UXORI

Monumentum hoc ſecundum eſt, quod de T. LIVIO noſtro *In Origin. Patav. Cap. 16.* habemus; tametſi clariſſimi Pignorii ſententia vix germanum credendum ſit, quod in eo SIBE pro SIBI non legatur: de quo alio in loco fuſius egi.

LONGO] Cognomen fortaſſis à corporis ſtatura tractum, Longum enim Nonius Marcellus altum erectumque interpretatur.

CASSIÆ] Caſſia gens plebeja fuit multis decorata Conſulibus, Longino, Varo, Ravilia, Kaleno, cognominatis.

PRI-

PRIMÆ] Ad hanc vocem disertissimus Tomasinus cum Scardeonio ex duabus uxoribus LIVIUM nostrum duos suscepisse filios notat. At vellem cogitasset Cultissimus Vir, Cassiam non primam fuisse LIVII uxorem, sed primam Sexti Cassii cujusdam filiam. Panuinius enim, quod aliàs observavi, in mulierum nominibus distinguendis hanc doctrinam tradidit: *Porrò autem si duæ essent, nomen Familiæ, quo vocabantur, Majoris & Minoris Cognomine distinguebatur. Hinc vetustissimis temporibus Tullia Major & Minor: Fabia Major & Minor apud LIVIUM. Item apud Tranquillum Octavia Major & Minor Sorores Augusti: Antonia Major & Minor III. Viri filiæ. Si tres filiæ essent, alia erat distinguendi ratio, id est Primæ, Secundæ, & Tertiæ. Hujus rei exemplorum pleni sunt omnes Epigrammatum Libri.* Mox subdit *de Quarta. LIVIUS Lib. 40. Calpurnius Piso (inquit) necatus à Quarta Hostilia uxore dicebatur. Et in vetusto Epigrammate Quarta Livia refertur. Quæ verò Quinto loco nata esset, Quinta vocabatur, &c.* Quibus omnibus subscribit Sigonius. Itaque LIVIUS non Cassiæ Primæ UXORI, sed Cassiæ Sexti F. Primæ, uxori suæ, cum ceteris expressis monumentum erexit.

In T. Liv. Vita Cap. 8. Lib. I. Clas. 4. Fol. 41.

De Antiq. Nom.

De Nom. Rom.

T.] TITI Prænomen, ut notat Pignorius, in hac Gente venerabile fortassis erat, ob TITI LIVII nostri memoriam.

In Adnot. ad Pat. Origin. Fol. 171.

Inscriptio hæc mentem meam diu multumque torsit. Legebant enim in ea primo intuitu ferè omnes

T. LIVIO. T. F. PRISCO. F.
T. LIVIO. T. F. LONGO. F.

Quæ meo judicio non consonant; siquidem non accipiebam

T. LIVIO T. F. PRISCO FILIO vel FECIT

ùt alii etiam explicabant: quid enim FILII vox uni personæ bis adsignata? & quid iteratò FECIT, quod semel monumentum claudit? Verumenimverò cùm sæpè sæpiùs saxum perlustrassem paulò diligentius, omnesque fissuras ac rimas assiduè investigassem, nonnulla subsequentis T. & Corrupti E. vestigia deprehendi; adeoque cum Grutero hoc Epigramma sic legendum observavi.

Fol. 693. num. 15.

T. LIVIO. T. F. PRISCO. ET
T. LIVIO. T. F. LONGO. ET
CASSIÆ. SEX. F. PRIMÆ
UXORI

Emend. 2. Tametsi id ex Robertelli Emendationibus duplex ipse præ-
Cap. 12. beat; unum in LIVIANIS, ubi tamen nunquam fuit, hoc autem
Fol. 801. in Capilisteorum ædibus.

Num. 2. Correctionis verò nota desideratur cùm apud Collectores In-
Fol. 336. scriptionum Sacrosanctæ Vetustatis; tùm apud Scardeonium, ac
Lib. I. Class. Tomasinum *in Vita T. LIVII*: apud quorum duos postremos et-
3. *Fol.* 41. iam deest F. quod in saxo conspicitur.
Cap. 8.
Fol. 45. Sed Ossa LIVII ad tuendam ejus perennitatem, ac suavissimam per tot secula quietem, doctiorum ingenia reposcunt. Vir enim eruditissimus omniumque virtutum genere clarus, è publico suggestu illa LIVII non esse quatuor rationibus contendit. Nullum nempè eò loci, ubi ossa illa eruta, de LIVIO inventum fuisse testimonium. At de eo quod in Prætorio visitur monumento, Sicco Polentonus egregius ea ætate civis, ac testis oculatus, in Epistola, quam
Cap. 17. Pignorius in suis Originibus edidit, hæc scripsit: *Atverò quod fuerit sepultus eodem ipso loco, quo hæc ista ossa reperta sunt, fama auget fidem, quod lapis quo insculptum hoc Epigramma videtur (necdum excessit octuagesimus annus) indè levatus fuerit: nam & modò calcis fragmenta erant, & apparebant vestigia, undè evulsus foret. Hunc autem ipsum lapidem, qui repertores ejus fuerunt, ad ornamentum Civitatis, ad Dignitatem Viri, ad memoriam rei, ad solatium studentium, in eo ipso, quo nunc visitur, vestibulo Ecclesiæ Sanctæ Justinæ fixerunt. neq; aliam rem puto magis obfuisse, quod illi homines, qui harum rerum maximè studiosi illa ætate vigebant, non amplius effoderint, monumentum non ruperint, ossa non invenerint, nisi quod ea muralis strues similior fundamento, quàm monumento esset, neq; illis effodi-*
Polent. Epist. sup. cit. *endi profundius necessitas incubuisset.* Quibus addo, quod diligentissimus iste Vir asseruerat an[illegible] verisimile creditum, illum non fuisse proprium monumenti locum, hac ratione: *Monumentum verò dixerim aut pro humilitate summissum, aut si quod illustre fuerit, vel obrutum ruina rerum, vel absconsum dirutumq; ab his, qui primùm Christi fidem acceperunt, ne fortasse illo primordio nascentis Ecclesiæ vestigium gentilitatis obes-*

obesset. Carmina autem illa quæ reperta sunt, ac barbariem sapiunt; adeòque doctissimo Viro sunt suspecta, inferiori ævo eo loco posita putat Polentonus, non autem quum LIVIUS condebatur. *Loco cit.* Ea hæc sunt :

Invenies sub urna posita quæ tegitur umbra.
Non multum per latum te fodiendo dilates.
Exemplo lustri passibus te metas servare decet.

Nec difficile fuerit horum ætatem cognoscere ex iis, quæ Polentonus subnectit, scilicet: *Scripsit hæc dudum Sacer Abbas, quæ marmore sculpsisset, nisi mors bonarum sæpè mentium occupatrix sententiam irritasset. Sic Monachi ex Patribus acceperunt, acceperuntque LIVIUM ibi sepultum esse.* *Ibid.*

Addit ille, quod de Sexu non ita constare poterat: & nihilominus Polentonus ipse professus fuerat, quod *non defuerunt, qui inficiari magnoperè niterentur, quique & non maris illa ossa fore, sed fœminæ seminarent. Calumniatoribus nusquam res ullæ quamvis apertissimæ caruerunt. Porrò maris esse non fœminæ, adversantibus Physici demonstrarunt ex scissuris integerrimi cranii, quibus sexum liquida ratione discriminabant.* *Ibid.* Quam etiam cognitionem tradit Aristoteles tertio Historiæ Animalium. *Cap. 7.*

Pergit ea in dubium vocare, quia cadavera intra civitatem non sepeliebantur; sed locus ille, ubi inventa fuere ossa LIVII, non fuit intra civitatem eo tempore, ut nunc est. Omnes enim qui nostræ Civitatis cognitione pollent, optimè sciunt, quod Divæ Justinæ Cœnobium, qui locus inventionis fuit, à porta Turricellarum vix quingentis passibus distat. At non & Romæ quoq; in Capitolio, in Campo Martio, sepulchra publicè concessa, abundè confirmant pluribus monumentis adscripta hæc verba?

LOCUS DATUS PUBLICE.
vel in municipiis & coloniis
LOCUS DATUS DECRETO
DECURIONUM.

Tandem subjungit, corpora ætate illa fuisse cremata, non autem integra deposita. Hoc verò non fuisse omninò necessarium, vel Plinio teste constat; qui monet apud Romanos non fuisse ve- *Hist. Nat. Lib. 7. cap. 54.*

veteris instituti corpora cremare, *& multas familias priscos servavisse ritus.* Nec sanè Patavii sic Romanorum omnia servabantur, ut in eorum ritus quasi jurassent Patavini. Addo etiam eo tempore sine rogo corpora Romæ condita; siqnidem in Tiberio Suetonius, qua ætate LIVIUS obiit, de Drusi corpore hæc protulit: *Drusum fratrem in Germania amisit, cujus corpus pedibus toto itinere prægrediens Romam usq; pervexit.* Corpus autem integrum, cadaver non incineratum significare, persuadet mihi Petrinus, qui Romanos errores sub schemate Græco detegens, illius bonæ mulieris facinus recenset, quæ *jussit corpus mariti sui tolli ex arca, atq; illi quæ vacabat cruci adfigi.* Ad quem locum diligentissimus Kirchmannus hæc notat: *Speciatim verò ubi corpus integrum condebatur, Arca dicta fuit.* Adhæc corpora fuisse sepulta priùs non combusta, patere opinor apud Suetonium de Druso: *Corpus ejus per municipiorum coloniarumq; primores, suscipientibus obviis scribarum decuriis, ad urbem devectum, sepultum est in Campo Martio.* Nec siluisset Suetonius, si priùs crematus fuisset, qui de Julio Cæsare, de Augusto, de Tiberio, de Cajo Caligula, de Claudio diligenter. & accuratè id perscripserat. Sed paucis emensis annis Tacito teste Poppeæ *corpus non igni abolitum, ut Romanus mos: sed regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur.* Sepeliendi verò vocabulum non ustorum, sed humatorum esse corporum, nos docet Cicero: *Hominem mortuum, inquit Lex in duodecim Tabulis, in urbe ne sepelito, nevè urito. Credo vel propter ignis periculum. Quod autem addit, neve urito, indicat non qui uratur sepeliri, sed qui humetur.*


In Tiber. Cap. 7. — *In Satyrico.* — *De Funerib. Rom. Lib. 3. cap. 15.* — *In Claud. Cap. 1.* — *Cap. 84.* — *Cap. 100.* — *Cap. 75.* — *Cap. 59.* — *Cap. 45.* — *Annal. lib. 16.* — *2. de Legib.*

Joannes Fridericus Gronovius in Epistola Dedicatoria Historiarum TITI LIVII, ad Illustrissimum Virum Claudium Memmium Comitem de Avaux, Utriusq; Francicæ Torquis Equitem, Comitem Sacrarum Largitionum, Christianissimi Regis ad negotiationem Pacis per Europam Legatum. Pag. mihi II.

TITUM LIVIUM vides, eorum qui res gestas non fortuna magis, quàm

quàm merito Imperatoris gentium populi prodiderunt, vel magnitudine Operis, vel Sermonis elegantia, vel Narrationum veritate, vel Judicii candore & acrimonia facilè Principem. Nolo munus amplificare dictis: neque enim decet: sed ne vile putes, Magnanime Memmi, quod Laurentius Vallensis Alfonso Arragonum Regi, quod Johannes Andreas Episcopus Aleriensis Paullo Secundo Pontifici Maximo, quod Henricus Glareanus Carolo Quinto Augusto gratum obtulerunt. Et multis etiam tùm partibus dissimilis sui, longêq; tristior, atque habitu, pallore & macie confectus ac malè vivus oberrabat hic noster: nec dum accesserat ille ornatus, quem nostri seculi in reducenda sincera Antiquitate subtilitas, & doctisſimorum hominum industria, meo etiam non parvo labore auctum, ei comparavit; quoque nunc certè, quatenus est superstes, integrior pulchriorque pristina damna solatur. Anni namque complures sunt, quod imperavi mihi pro nostra mediocritate omnia facere & moliri, ut tanto Scriptori, qua posset, suus restitueretur nitor: ea caussa nocturna diurnaque manu ille potissimùm mihi versari comes in itinere, contubernalis in conducto, sodalis in triclinio, otii dispensator, negotii interpellator esse: eundem, quando copia fuit, cum aliis Romanæ Historiæ Conditoribus conferebam; ad manu exaratos Codices, quot habere potui, tædiosissima morositate, sed tædium vincente amore, contendebam; & si hoc eum commendatiorem tibi reddere potest, Galliæ profectò Bibliothecarum membranis (etsi Angliæ quoque, Italiæque, & Germaniæ, suæ fuerint partes) præcipuum debet, in solo Annibalico bello ex laudatissimorum fratrum Puteanorum unico venerandæ vetustatis Libro aliquot millibus locorum (& sine figura loquor) sanatus. Talem Tibi sisto, Illustrissime Legate Regie, novum clientem inclitæ & ad præsidium bonarum literarum natæ Domus, Tuæ erga me benevolentiæ testem & notorem, mei obsequii & propensissimi cultus obsidem: talis sperat in Sacrosanctis Penatibus Tuis primum se receptum habiturum, ut prærogativa Iudicii Tui tutus in lucem publicam auspicatò veniat.

 ΠΑΡΑ-



ΠΑΡΑΛΕΙΠΟΜΕΝΟΝ LIVIANUM,

Hoc est,

JACOBI PHILIPPI TOMASINI

T. LIVIUS PATAVINUS.

Illustriss. & Excellentissimo Sereniss. Reip. Venetæ Senatori

DOMINICO MOLINO

S. D.

Jacobus Philippus Tomasinus.

ECce tuum, Senator Amplissime, LIVIUS sub aspectum prodit, verum Historiæ decus, & eloquii Romani splendor; Teque summum literarum Mæcenatem me duce, ac comite, consalutat. Cujus nempè lares lubentius adire gestiat, quàm illos tuos Viris eruditis, bipatentibus noctes, atque dies, foribus reseratos? Non alios sibi profectò deligerent ipsius Manes, si rursus redderentur Orbi, virtutum tuarum radios admirati, qui totis penè terris diffusi tenebras astris ipsis offundunt, ut Te jam verum Musarum Apollinem Rei literariæ Senatus omnis agnoscat, & colat. Galli, Germani, Hispani, quotquot (verbo dicam) Sol aspicit, editis literarum monumentis illustres, certatim tuum, Viri amplissimi, humanissimi, ac sapientissimi nomen ad cælum efferunt, seculum istud nostrum aureum vocant, vosque potissimùm fortunatos, quibus tali studiorum nostrorum Duce, & Auspice datum est divinitus operam literis dare. Egò sanè, cùm omnia in Te suspiciam, tuam inprimis ingentis animi magnitudinem terræ totius, ac maris imperio parem, cum singulari ergà literarum amantes propensione conjunctam, venerabundus admiror. Quamobrem mei cultus in Te perpetui Testem qualemcunque tabellam istam libens, lubens accipias rogo, quam ad aram Nominis, Numinisque tui votivam appendo: spectesque in latè patenti LIVII gloriâ obsequium ergà te meum nullis omninò limitibus definitum. Vivas æternùm. & æternùm, valeas, Amplissime seculi Musageta. Patavii Antenoris Kal. Julii. 1630.

IN VITAM T. LIVII PATAVINI

Nominis Æternitati

DOMINICI MOLINI

Literatorum Mæcenatis Amplissimi

nuncupatam.

OSsibus inspectis LIVI, Patavina dedêre
Mœnia lætitiæ signa subindè novæ.
Spectantur nunc ossa Viri non sola; sed Ortus,
Et Patria, & tantæ prolis uterque Parens:
Ver simul ætatis, flos, robur cernitur, & vis
Ingenii, Morum candor, & eloquii:
Fama patet pariter viventis, fama sepulti,
Nec tumuli tumulo contumulatur honos.
Solis utramquè domum TITUS modo LIVIUS ambit,
Eois notus, notus & Hesperiis.
Floruit Augusto sic qui sub Principe, floret
Clarior auspicio, MAGNE MOLINE, tuo:
Nec clarum ventura minus venerabitur ætas,
Quippè tuo æternùm vivitur auspicio.

Fel. Osius Artis Orat. Interpres
in Gymnasio Patavino.

AD AUCTOREM VITÆ.

Debuit haud uni jamdudum LIVIUS Urbi,
Ista genus, famæ contulit illa decus:
Certarunt aliæ titulis decorare merentem,
Æternis aliæ tollere carminibus.
Cuncta tibi posthac debebit LIVIUS uni:
Vni cuncta tuus dat, Tomasine, Liber.

Idem

Index Capitum.

Finis.

T. LIVII PATAVINI VITA

A Jacobo Philippo Tomasino conscripta.

TITI LIVII Patavini Civis, & Historici præstantissimi, qui res gestas Romanorum eloquentiâ mirâ digessit, *Effigiem* veneramur hoc loco; quæque de illo monumenta passim exarata leguntur, colligimus, ut amantes Historiæ, & Antiquitatis studiosi quique, uno intuitu salutare eandem, tantique Viri virtutes, & gloriam æmulari possint. Vitam ejus, & decora plurimi tetigere. Unusquisque in eo celebrando secum, & cum aliis certat. Latini, Germaniq; Scriptores omnes singularem illius præstantiam admirantur. Nullus est, quem dictionis illius candor, ac lepor non in sui commendationem, & amorem rapiat vel invitum. Ego sanè, etsi me hæ quoque deliciæ tangant, amore patriæ ductus, cui natus Historicus talis ac tantus, felicibus hisce temporibus, quibus, Te duce & auspice, Illustrissime & Excellentissime MOLINE, literarum omnium studia reviviscunt, & antiqua monumenta quæque lucem hauriunt, non tàm T. LIVII *vultum*, quàm *Vitam* ejus, *Natales* scilicet, *Parentes*, *mores*, *Studia*, *Honores*, *Facinora*, *Monumenta*, *Mortem* ob oculos tùm nostris, tùm posteris mihi proponenda duxi, claris ab ejus *Natalibus* sic exorsus.

LIVII *NATALES, PATRIA, PARENTES, EDUCATIO, STUDIA.*

CAP. I.

TITUM LIVIUM Patavii, bonarum artium emporii, clarissimis è parentibus natum, nemo ambigit. Extant gravissimorum Virorum testimonia multa, quæ nos *Genus* ejus & *Patriam* ignorare non sinunt. Asinius ipse Pollio Patavinum illum agnovit, dum Patavinitatem ejus animadvertit. Symmachus epistola XVIII. non alibi ortum voluit: non alibi Sidonius in Panegyrico Anthemii: non alibi denique Martialis, cum ad Licinianum scripsit Lib. 2. Epigrammatum.

Censetur Apona LIVIO suo tellus,
Stellaque, nec Flacco minus.

LIVIUM quoquè Patavii natum Statius Papinius duxit, cùm illum *Alumnum Timavi* dixit. Idipsum Albertinus Mussatus innuit in Prologo Historiæ suæ de gestis Henrici VII. Augusti, *Archigraphum Patavinum* vocans T. LIVII stylum, quòd illi contigisset sub Patavino cælo lucis hujus communis usûrâ frui. Undè in Carminibus suis Mussatus idem, semet ibi loci explicans, cecinit:

Plaudeat archigraphi si non mihi tibia LIVI.

Subscribunt his Merulæ duo, Gaudentius scilicet, Lib. II. Antiq. Galliæ Cisalpinæ Cap. XI. Patavinam urbem T. LIVIO Historico, & Oratore facundissimo maximè nobilitatam tradens, & Paulus lib. III. Cosmographiæ Par. II. his versibus, qui sunt Adriani Romani in Theatro Urbis:

Salve Urbs, doctiloquis sedes aptissima Musis,
Magna loco, spatiosa foris, placidissima cæli
Temperie, muroque triplex, latissima fossis,
Et magnis celebrata viris. Hac LIVIUS, ille
Historiæ pater, est genitus: servantur eodem
Illius ossa loco, statuis, tituloq; superbo,
Hic, ubi juncta foro nullis fulcita columnis
Plumbea marmorei pulchrè stant tecta Palati.

Indè Sabellicus, scriptor insignis, in Oratione, quam habuit in LIVIUM, sic ejus in laudem exorditur. *Cum totam LIVII vitam inspicio, omnia illi affuisse videntur, quæ ad felicitatem consequendam pertinere creduntur, celebris patria, populare nomen, temporum felicitas, maturitas studiorum. Sublimis ad scribendum materia, summi Principis favor, & in studiosos beneficentia, ut benignior Natura largâ manu tot, & tanta in unum contulerit, quot & quanta in alium eorum, qui Historiam scripserunt, quod sciam, neminem. In quibus perscribendis, ornandis, disponendis non solùm ille non sibi defuit; sed (quod est omnium judicium, ipseq; studiorum exitus demonstrat) longè etiam superfuit. Nunc, quod ad patriam attinet. Quid secundum Romam fuit olim tota Italia Patavio clarius? cujus urbis si originem quæras, ab Ilio est: si auctorem originis, Antenor condidit, Trojanorum post Priamum celeberrimus: si opes, centum & amplius hominum millia olim misit ad bellum, CCCC. equestris ordinis ex suo corpore censuit: si eruditionem, omnium bonarum artium est hodie domicilium: & quod omnium maximum est, maximeq; conspicuum, cum per hæc satis esset nobilis, clarissimo partu multò facta est nobilior.*

Fuêre nihilominus, qui non *Patavii*; sed *Aponi*, natum illum traderent, Martia-

Martialis auctoritate freti, & in his Sigonius, cujus ista sunt in Opusculo de Historicis Romanis. *T. LIVIUS Patavinus è vico Aponi, calidis aquis celebri, ab Urbe condita ad Neronis Drusi obitum, qui fuit Anno Urbis D. CC. XII, libros Historiarum conscripsit.* Sed in Epigrammatario Vate *Apona tellus, Urbem Patavinam* sonat, ab Apono, nobili haud procul ab illa fonte, celebrato multis; sed in primis Claudiani Poëmate singulari. Quidam etiam TITULO, Vico non ignobili inter Euganeos colles, T. LIVII natales adscribunt, indeque TITI prænomen illius trahunt. Atqui TITUS prænomen Romanum erat: ob idque credendum potiùs, TITULI vicum â LIVIO nostro dictum, quàm illi prænomen de suo nomine peperisse. Verùm enim verò abutentis est otio hujusmodi somnia literis consignare.

Quid quod LIVIAM familiam inter nobiles, & illustres Patavinas locant inscriptiones multæ: nec ulla earum LIVIUM Titulensis villici filium fuisse prodit? quin & illum editum præstantissimo patre (licet nobis illius nomen vetustas inviderit) liberalis ejus educatio, studia, & accessus Romam, ut Augustæ aulæ inserviret, facere palàm possunt?

Natus ille porrò Patavii anno mundi M. M. M. M. M. C. XLII. Olimpiade C LXXX. Anno II. quo & natus M. Valerius Messala, teste D. Hieronymo in Chronicis, quem laudat etiam Vossius Lib. I. de Historicis Latinis, & Cremutius Cordo apud Tacitum Lib. IV. Annalium.

Primo ætatis vere singulare statim illius ingenii acumen emicuit, cujus in fronte, vultu, & oculis habitare humanitas, fides in pectore, gravitas demùm, & comitas unanimes videbantur.

Nihil eo venustius, nihil amabilius fingi poterat. Factus erat omnino ad studia laboresque ferendos, quos secum illa perpetuò trahunt, excellenti quadam animi magnitudine præditus, & ad summas res agendas semper intenta. Quamobrem â Parentibus in literariam palæstram missus, egregiâ suâ indole, ingenio perspicaci, vastâ memoriâ primis in Artibus mirè profecit.

Mox Philosophiæ opera præstita, Naturæ totius arcana exhausit. Indè Jurisprudentiæ, & Politicæ se totum addixit, ut ornatum verborum & copiam, naturæ donum, sententiarum ponderibus augeret. Ad hæc eximias animi sui dotes, præclarissimis è natalibus uberrimè derivatas, summo studio, jugique labore cæpit excolere, quò posset ubique terrarum, & Gentium cæteris elucere. Varietate quidem sententiarum & idiomatum, insi-

gnique ſermonis, & orationis ſuppellectile ſatis jam inſtructus domi, ſecretum larem pertæſus, & patriam, aliò vocatus eſt. Et in primis Romam, ut eo in Theatro univerſi Orbis præſtantiæ ſuæ radios undequaquè diffunderet, explicaret.

ACCESSUS EJUSDEM ROMAM, ET RES IBI LOCI GESTÆ.

CAP. II.

Romam igitur acceſſit, Patavio relicto, LIVIUS, aureo vigente ſeculo AUGUSTI CÆSARIS, qui totius terrarum Orbis habenas moderabatur unus, pacatis ubiquè rebus, ſedatis bellis, Jani templo ter clauſo ex Suetonii fide in illius vitâ Cap. XII. Oroſii Lib. VI. Cap. XXII. Dionis Lib LI. & Æde Muſarum apertâ verus, literarum, & literatorum PATRONUS, ac PATER, qui TIBI, SENATOR AMPLISSIME, Tituli nunc debentur. Auguſto nempè ſub Principe, pulchriores literæ, ac ſplendidiores Artes, quaſi vepribus exutæ, florido latè germine pullularunt; Romamque, tunc rerum Dominam, Viri quique Docti ex omni terrarum Orbis angulo convolabant. Hîc LIVIUS tantæ Urbis majeſtatem mentis, & corporis acie contemplatus, *Auguſtum* ſibi primo in limine, nec abſque munere, venerandum duxit. Quamobrem *Dialogos*, quos in urbe patriâ de *Philoſophiâ* condum ſcripſerat, Auguſto detulit, dicavitque lubens, ac libens. Excepit illos Imperator acerrimus ingeniorum æſtimator & cultor, hilari, quâ fronte talia conſuerat, & in iis Auctoris præſtantiam demiratus, LIVIUM ſtatim in ſui tutelam recepit, ampliſſimis antè muneribus exornatum. Patuit illi tandem ad Herois tanti familiaritatem aditus, ideòque ſcriptum reliquit Cremutius: *T. LIVIUS eloquentiæ, ac fidei præclarus in primis. Cum Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum cum Auguſtus appellaret, nequè id amicitiæ eorum offecit.* Pertinet illud etiam ad [redacted] noſtri nomen, & famam, quod â Suetonio literis proditum accepimus in Claudii vitâ, unum illum è cunctis præſtantisſimis Rhetoribus ævi ſui Claudio Cæſari adoleſcenti præceptorem datum, ut illum eloquentiæ ſtudiis, & dignis imperio moribus informaret. Facit huc etiam, quod ipſemet LIVIUS teſtatus eſt lib. IV. ubi loci Auguſtum templorum conditorem, aut reſtitutorem appellat.

Hiſtoriam Romanarum rerum ſub Auguſto Cæſare collegit, & juvenem Claudium, eandem ut ſcriberet, adhortatus eſt, ingenii illius præſtantiâ

ſtantiâ probè cognitâ, & perſpectâ. Arripuit LIVII conſilium Claudius, & juſtam Hiſtoriam inſtituit, quâ de re Suetonius teſtis in illius vitâ Cap. XLI. *Hiſtoriam in adoleſcentia, horta te T. LIVIO; Sulpitio vero Flavo etiam adjuvante ſcribere aggreſſus eſt.* Et paullò poſt: *In principatu quoque & ſcripſit plurimùm, & aſſiduè recitavit per lectorem. Initium autem ſumpſit hiſtoriæ poſt cædem Cæſaris Dictatoris. Sed & tranſiit ad Inferiora tempora: cæpitque à pace civili: Cum ſentiret nequè liberè, nequè verè ſibi de ſuperioribus tradendi poteſtatem relictam, correptus ſæpè & à matre, & ab avia. Prioris materiæ duo volumina, poſterioris unum, & quadriginta reliquit. Compoſuit & de vitâ ſua octo Volumina, magis ineptè, quàm ineleganter, &c.* Priſcianus etiam lib. VI. fragmentum ex Hiſtoriarum Claudii libro Quarto citat. Et ex Octavo Diomedes lib. I. Quæ inter fragmenta Q. Claudii Quadrigarii relata notat à Viris doctis Voſſius lib. I. de Hiſtoricis Latinis Cap. XXV.

Hujus occaſione facilè credere eſt, multa collegiſſe LIVIUM, nec non & ex Auguſti Cæſaris operâ, qui pariter Romanam Hiſtoriam conſcripſit, alia quam plurima adnotaſſe, quibus demum ex omnibus, ut Cæſarum iſtorum, aliorumque deſideriis ſatisfaceret, Hiſtoriam ampliſſimam ſibi conſcribendam ſtatuerit, &, quod privatis Commentariis ſepoſuerat, latiùs explicarit diffuderitque in Hiſtoriæ campum. Quam exorſus ab V. C. eandem perduxiſſe fertur uſquè ad bellum Germanicum Druſi, Auguſti Cæſaris privigni. Eam verò partim Romæ contexuit, partim Neapoli, ubi animi recreandi gratiâ morabatur interdùm, & otio inibi dulci perfruens Romanorum geſta immortali facundiâ immortalitati dicabat, Stephano Vinando Pighio teſte in Hercule ſuo Prodicio, ubi loci commendans clementiam Neapolitani Cæli, ita diſſerit de Viris doctis, & nobilibus ingeniis, â quibus Studiorum cauſâ ea civitas fuerit frequentata. *Conſtat, T. LIVIUM Patavinum Hiſtoricum, Q. Horatium Flaccum, Statium Papinium, Claudium Claudianum, poëtas celebres, Annejum Se[illegible] Philoſophum, aliosquè infinitos, qui ingenio, ſcriptiſque ſuis præclaris nomen ſibi peperunt immortale, ſæpius eò ſtudiorum cauſſa ſeceſſiſſe.*

ELOQUENTIA CLARISSIMORUM VIRORUM ELOGIIS JURE AC MERITO CELEBRATA.

CAP. III.

Quanta ſit eloquentia LIVII, quanta in dicendo ſuavitas, nemo non ſentit, (ut

Oſi

O si verbis utar in notis illius philologis, Historicis, aureis in Augustam Historiam Albertini Mussati) *nisi, cui nullus sit ejus jucunditatis sensus, quam secum afferre consvevit lactea dicendi vis, nullis uspiam salebris impedita fluens.* Affluit enimverò in illo sententiarum ubertas, copiaque verborum talis, ac tanta, jure ut *lacteus, & uberrimus eloquentiæ fons, Musarum lac, mare tranquillum, Historiæ anima, Scriptorum reliquorum norma, idea, majestas fuerit appellatus.* Audiamus viros alios longè clarissimos sese in illius eloquentiæ laudem effundentes, & in primis Quintilianum ita, de illo scribentem Lib. X. Cap. I. *At non Historia cesserit Græcis, nec Thucydidi opponere Sallustium verear: nec indignetur Herodotus æquari sibi T. LIVIUM, cùm in narrando miræ iucunditatis, clarissimique candoris, tùm in concionibus suprà quàm enarrari potest eloquentem: ità dicuntur omnia cùm rebus, tùm personis accommodata. Sed affectus quidem, præcipuè eos, qui sunt dulciores (ut parcissimè dicam) nemo Historicorum commendavit magis; ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est. Nam mihi egregiè dixisse videtur Servilius Nonianus, pares eos magis, quàm similes.*

Audisti Qnintiliani de LIVIO melos, aures nunc accommoda lepori Philippi Beroaldi, qui Bononiæ natus anno cIↄ. CCCCL. Friderici, & Maximiliani temporibus literis hisce nostris inclaruit. *Cum omnes haud dubiè suspiciendos, & lectitandos esse censeam, T. LIVIUS in primis narratione dignissimus mihi visus est, & jucunditatis, utilitatisq; inter alios refertissimus, cujus lectio omnium Scholasticorum moribus, animisque satisfactura sit. Est enim dulcis, candidus, & eo nullus Historicorum melius commendavit mitiores affectus: apud quem omnia cùm rebus, tùm personis sunt accommodatissima; Cujus divinæ facundiæ nihil addi potest: cujus orationi, si quid demas, ex elegantiâ detraxeris, quemadmodum de Platonis oratione Phavorinus dicere solebat. Idem grandiloquus est, & sententiarum gravitate, & majestate verborum. Idem copiosissimus, nec tamen longus. Nam, ut inquit egregiè Martialis:*

Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere possis.

Audistis & Stephanum Nigrum Virum eloquentem, & gravem. *O fortunatissime Popule Romane, qui rerum à te gestarum præconem Historicorum præstantissimum T. LIVIUM habueris, cujus miram in narrando jucunditatem, clarissimumq; candorem, & suprà quàm dici potest in concionibus eloquentiam cùm rebus, tùm personis accommodatam, quis unquam satis dignis prosequi laudibus posset? Nam ad ejus in dicendo multiplices virtutes pro meritis, & dignitate laudandas divina procul dubio opus esset oratione.*

Disserit

Differit & eloquentiſſimè de eloquentiâ LIVII Georgius Trapezuntius in Rhetoricis hac verborum pompâ: T. LIVIUS *grandis circumductione ſuprà quàm dici poſſit, in quâ ſumma eſt claritas; fuſus æqualisque adeò, ut lacteo par flumini ſit ipſius oratio.*

Et alii, quorum è numero mihi minimè prætereundi Bernatius Lib. I. de Utilitate legendæ Hiſtoriæ: *Princeps Latinæ Hiſtoriæ audit LIVIUS, ſi magnitudinem operis, ac nitorem phraſium ſpectes.* Gaudentius Merula Lib. II. de Antiquitate Galliæ Ciſalpinæ Cap. XI. ubi de Patavinâ urbe ei ſcriptori Sermo: *Nobilitata eſt maximè T. LIVIO & Hiſtorico, & Oratore facundisſimo, quem vel acerrimi vir ille ingenii Fab. Quintilianus Hiſtoricis omnibus, & Græcis, & Latinis præponere videtur.*

Nec defuêre, qui liberè teſtati ſunt, certare poſſe LIVIUM cum Eloquentiæ parente *Tullio*; quin hunc illo inferiorem omninò futurum fuiſſe, ſi quando ſcribendæ Hiſtoriæ animum adjeciſſet. Adde his Vopiſcum, LIVIUM inter *viros diſertisſimos* recenſentem in Probo, quod & factum â Senecâ de Irâ, & Voſſio ex utroq; Lib. I. de Hiſtoricis Latinis Cap. XIX. qui & Elogiorum reliquorum ſummam ità confecit. Nihil hoc SCRIPTORE *eſt grandius, atq; uberrius.* Dignus ob id LIVIUS ſemper eſt habitus, qui ad Romanæ Hiſtoriæ cognitionem, prudentiamque Civilem cum ELOQUENTIA comparandam, ſtudioſis adoleſcentibus omnibus proponeretur, unusque præ cæteris in manibus haberetur. Hinc illa Quintiliani Lib. II. Cap. V. *LIVIUS à pueris magis legendus, quàm Salluſtius, & hic Hiſtoriæ majoris eſt auctor;* Legit Barthius in Adverſariis; *Sit hic hiſtoriæ Major is auctor.* Et Statii Lib. I. Sylvar. IV.

Sed tuas artes puer antè diſcat,
Omne queis mundi ſenium remotus
Orſa Salluſti brevis, & Timavi
Reddis alumnum.

FAMA NOMINIS, ET EXISTIMATIO.

CAPUT. IV.

Vel ex hoc uno T. LIVII exiſtimatio, ac gloria ſpectetur, quòd non ſolum ſtudioſi quiquè eum venerabantur; Auguſtus ipſe ſummo amore, ac ſingulari benevolentiâ proſequebatur, admirante univerſo Senatu, Populoque Romano; ſed orbi toti notiſſimum multi ex ultimis Hiſpaniæ,

Galliarumque finibus viri illustres Romam adibant, ut unum illum, lacteo eloquentiæ fonte manantem, contuerentur. Tale LIVII viventis adhuc, & florentis nomen extitisse disertè prodidit Plinius in hæc verba scribens Lib. II. Epist. III. ad Nepotem:

Nunquamne legisti Gaditanum quendam T. LIVII nomine, gloriâque commotum, ad visendum eum ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse.

Quò spectans D. quoq; Hieronymus, sic ad Paulinum scripsit: *Ad T. LIVIUM lacteo eloquentiæ fonte manentem, de ultimis Hispaniæ, Galliarumq; finibus quosdam venisse Nobiles legimus, & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.* Et statim: *Habuit illa ætas inauditum omnibus seculis, celebrandumq; miraculum: ut tantam urbem ingressi, aliud extrà urbem quærerent.*

Arguit ad hæc LIVII nostri gloriam, existimationem, ac famam L. Magii Generi ejus nomen, quod inter primos Rhetores ob existimationem Soceri sortitus est. Unde Seneca Epist. XLVI. Lib. VI. *Pertinere ad rem non puto, quomodo L. Magius, gener T. LIVII, declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuerit, cum illum homines non in ipsius honorem laudarent; sed in Soceri ferrent.*

MONUMENTA INGENII.

CAP. V.

Famam verò LIVIO tantam, quantam sibi mortalium quisquis optare posset, peperere divini illius ingenii monumenta. Scripsit enim in Patria *Dialogos de Philosophia,* quibus res morales, ac politicas complexus est. Notos illos habuit Seneca, suumque de illis judicium ferens Epistolâ Centesimâ primâ: *Nomina,* inquit, *adhuc T. LIVIUM. Scripsit enim & Dialogos, quos non magis Philosophiæ annumerare possis, quàm Historiæ, & ex professo Philosophiam continentes libros.* Scripsit & de Arte Rhetoricâ cultissimam, & numeris omnibus absolutissimam epistolam ad Filium, cujus meminit Quintilianus Institutionum Oratoriarum Lib. X. Cap. I. his verbis: *Fuerit igitur brevitas illa tutissima, quæ est apud LIVIUM in epistolâ ad filium scriptâ, legendos Demosthenem, atque Ciceronem.* Sed horum, heû, nihil operum extat. Periere scilicet, nec sat scio temporum injuriâ, an hominum invidiâ pessimorum? Historiam post hæc aggressus est scribere Romanarum rerum, quam centum, & quadraginta libris absolverat, licet pars tantæ molis exigua nunc supersit. Triginta nempè libri tantùm & quinque ejus ad nos Historiæ pervenere, deperditâ,

ditâ, aut latitante Secundâ Decade, eâquè parte, quæ ſequebatur librum quadrageſimum quintum, præter argumenta, quæ LIVIANA Epitome nominantur, & ſub Flori nomine celebrantur. Cæterùm, cum LIVII noſtri tres ſolas Decades haberemus: proximè ſuperioribus annis Lucem acceperunt quinque alii libri, nuper in Germania, in Urbe VVormatiæ trans Rhenum, â Simone Gryneo in Bibliothecâ Monaſterii Lauriſſeni reperti.

Corrigendus enim iſthic eſt Scardeonius, qui hoſce libros in Provinciâ Vurmatiæ repertos tradidit. VVormbs enim civitas eſt Vangiorum, quâ de videatur P. Bertius Lib. III. rerum Germanicarum Com.

Anno demùm MDC XVI. Romæ à Gaſparo Luſignano editum eſt Fragmentum Lib. XLIII. LIVIANÆ Hiſtoriæ deprompt um ex Codice vetuſto Bibliothecæ venerabilis Capituli Eccleſiæ Bambergenſis, indequè Romam à Franciſco Bartholino Urbinate I. C. delatum, quod uti genuinum, virtutum omnium, Principum, Cardinalium, & Pontificum multorum gratiâ Vir longè Clariſſimus ANTONIUS QUÆRENGUS, Patavinus, ſeculi noſtri MARO, & Utriusque Signaturæ Referendarius, aliique Viri ex Germania præſtantiſſimi probavere. Etſi aliter verbis iſtis ſenſerit Voſſius Lib. I. Cap. XIX. de Hiſtoricis Latinis:

At qui nuper, tamquàm LIVII genuinam Libri XLIII. partem majorem, è veteri, ut ait, Bibliotheca, primus juris publici fecit, næ ille fucum fecit auritis Midis, non illis, quibus corculis eſſe datum eſt, & qui norunt, quid æra lupinis diſtent.

De partubus quidem legitimis LIVII perhonorificè ſenſit, & ſcripſit Franciſcus Petrarcha: *Miraculo proximum, ut ad T. LIVII opus ne dicam imitandum, ſed nec ad ſcribendum quidem, vix unius hominis vita ſufficiat.*

Ubi illud quoquè operæ pretium fuerit annotaſſe, ſuperſtites adhuc LIVII libros nequaquàm ab illo fuiſſe in Decades diſtributos. Quà de re Petri Criniti teſtimonium omnium aliorum inſtar, mihique neceſſariò producendum, adverſus ab his alia ſentientes, ex capite XII. Lib. VII. de Honeſta Diſciplina, *Falsò receptum eſt,* (inquit Crinitus,) *ac doctioribus etiam perſuaſum, fuiſſe in Decades diviſum T. LIVIO ſuum Opus de Romanorum geſtis, quæ ſingulæ decem voluminibus explicantur, quod ipſum de auctore LIVIO neutiquàm apud veteres comperias. Nam & Priſcianus vir diligens, aliique Germanici, ſicubi LIVIUM citant, Librorum numerum aſcribunt, nequè Decades nominant. Itaq; & XVI. Librum & XXXIII. & CXVI. videmus advocari ab antiquis auctoribus. Cui ſententiæ, & FRANCISCUS PETRARCHA adſtipulatur, ut qui aſſerat in epiſtolâ ad*

Ioannem Boccaccium, ignaviâ legentium contigisse, ut LIVIANA Historia sit in Decades distributa. In partes (inquit) *quas Decades vocant, non ipse, qui scripsit, sed fastidiosa legentium desidia divisit.* Sed & *L. Florus libros CXL. ejusdem auctoris recenset, sublato penitus nomine Decadum, cum universam historiam in Epitomen, vel (ut Latinè loquar) in Breviarium contraxit.* Id & *Politianus olim ità liberè nobis concedebat, ut nostram quoq; diligentiam magnoperè commendaret in perquirendis, atq; examinandis veterum monumentis.*

Caussa porrò amissi tanti Operis haud alia fuit, quàm magnitudinis ejusdem moles, ob quam non omnes illud describere poterant; egestate pauperes, avaritiâ divites impediti. Qualis enim, ac quanta ejus magnitudo esset, vel ex Martiale discimus hæc canente:

Pellibus exiguis arctatur LIVIUS ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

Jacturæ hujus in caussa invidia pariter, & improbitas Caligulæ Cæsaris fuit. Quippe qui T. LIVII Historiam, non secus ac Maronis Poëmata cum Auctorum imaginibus é medio tolli jussit, ut alienis laudibus obscuratis, propria vitæ scelera caligine premerentur. Quod incæstu pari monstrum alterum hominis Domitianus attentavit, ut qui Metium Pomposianum ob id occidi mandarit (auctore Tranquillo) quòd Regum, ac Ducum conciones quasdam depromptas è LIVIO circumferret.

Nihil sanè LIVIO grandius, nihil uberrius. Caligula tamen laborem tanti legendi Operis ægrè sustinens, dum in id incumberet, *verbosum* illum identidem appellabat. Eandem ob causam Asinius Pollio, *Patavinitatem* eum sibi sapere affirmabat. Nimirùm delicatum Romani hominis palatum, videbatur sibi aliquid sentire, quod non usque quaque saperet genium Romani sermonis. Neque enim nobis hic audiendus est Keckermannus, indê colligens, reprehensum ab Asinio fuisse sublimem LIVII stylum: ut â Seneca Lib. I. de Ira. Cap. ultimo, & de Tranquillitate Cap. IX. Nam longê aliud Senecam velle, diffitebitur nemo, qui verba ejus attenderit, ut accuratissimê attendit Gerardus Io. Vossius in aliàs laudatis Libro & Capite de Historicis Latinis. Quin imô, ex *Patavinitate LIVIO objectâ,* non invidiam, & detractionem; sed laudem, ac gloriam eidem conciliari posse cum Auctoribus aliis affirmarim.

Nam eâ de causâ Pollio *Patavinitatem LIVIO* objecisse putandus est, ut eum tacitè Patavinum esse proderet, & Pompejanum fuisse liquidò demonstra-

ftraret, Pompejanitatem Patavinitatis nomine comprehendens. Favère ſcilicet Pompejo, & Reipublicæ celſo ſemper animo Patavini. Quam ob cauſſam, *Patavini* (inquit Marcus Tullius, de Cæſarianis, ſeu Antonianis loquens) *alios excluſerunt, alios ejecerunt miſſos ab Antonio, pecuniâ, militibus, &, quod maximè deerat, armis noſtros Duces adjuverunt.* Quin & Thraſeam, Patavinum civem unà cum Helvidio genero, natalem diem, tùm utriuſque Bruti, tùm Caſſii hac de cauſa celebrare conſueviſſe legimus in Satyris Juvenalis. uſque adeò Patavinis Reſpublica, & Reipublicæ ſautores in oculis erant. Juvenalis enim iſta ſunt:

Quale Coronati Thraſea, Helvidiusq; bibebant
Brutorum, & Caſſii natalibus.

Quid plura? Aſinius Pollio, ut erat Antonianus (teſtatur id Paterculus) Patavinis longè infenſus erat, itaque (Macrobio teſte) acerbè cum iis egit, ut pecuniam, & arma conferrent. Quin, cùm Patavini id recuſarent, ac propterea deliteſcerent, præmia, & libertatem Patavinis ſervis obtulit, dum tamen dominos, qui deliteſcerent, propalarent, quod tentatum fruſtrà. Haud igitur mirum, virum iſtum Cæſarianum, Antonianum *Patavinitatem* objeciſſe LIVIO, &, quod virtutem alioquin redoleret, à Cæſarianis, qui Romano Imperio potirentur, Pompejanis ludibrio verſum & probro, cum *Pompejanitas* nil aliud omninò ſit, quàm Patavinorum in Pompejum, & Romanam Rempublicam fides, amor, ac benevolentia.

Quod autem eidem Hiſtorico quædam objecerit Caligula, quis ſanæ mentis eſt uſpiam, qui tam impii Cæſaris auctoritatem tueatur? Quis ignorat, quid inſanum illud caput de Virgilio ſenſerit? quid de Homero? Hinc Tranquillus: *Cogitavit etiam de Homeri carminibus abolendis. Cur ſibi non liceret, dicens, quod Platoni licuit, qui eum è civitate, quàm conſtituebat, ejecerit? Sed & Virgilii, & T. LIVII ſcripta, & imagines paululùm abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amoverit, quorum alterum, ut nullius ingenii, minimæ doctrinæ; alterum, ut verboſum in Hiſtoria, negligentemq; carpebat. Cogitavit idem etiam,* eodem Tranquillo teſte, *de Juriſconſultis abolendis, & de L. Seneca male ſentiebat, non minori livore, ac malignitate, quàm ſuperbiâ, ſævitiâque penè adverſus omnes ævi homines, graſſatus.*

Utut ſit, aliud ego de LIVIO affirmatè protulerim. Cui T. LIVII dulciſſimus ſtylus, & omnibus ornamentis inſtructa Hiſtoria non blanditur, eidem inſpectus placebit, ut olim Iſocrates, cujus jucunditas ſic hominum

 mentes

mentes allicere consuerat, ut ejus domus cunctæ Græciæ, quasi ludus pateret, ac dicendi officina.

VINDICIÆ TUTELARES.

CAP. VI.

Sed adhuc mihi à calumniis vindicandus est LIVIUS. Haud enim desunt invidi alii, (nulla nempè hominum uberior esse seges feraci hoc malorum seculo, & infelici) qui illum carpant. Videtur autem quibusdam horum prætulisse facem Antonius Cæsar in Itinerario suo, in quo hæc leguntur: *Fano Volturnæ cujus claris gestis invidit LIVIUS.*

Indè scilicet Annius Viterbiensis telum arripuit, quod in LIVIUM jaceret; sed ineptè, cum dixit: *Est autem negligens is, qui supprimit, quæ referenda sunt: & verbosus, qui absq; probatione contradicit afferenti rationes, & auctores. Et ex his duobus peccavit LIVIUS in multis, ut patet. Sed ex multis, quoad Fanum Volturnæ hæc exempla sint, Cælius Thuscus Lartes Fani juvit Romulum implorantem ab eo auxilium contrà Ceninenses, Crustuminos, & Latinos, & retulit triumphum. Et id idem fecit contra Sabinos Galeritus Luccumo. Et ob id ipse primus posuit Prætoria Romæ, & divisâ* Româ *in tres tribus, imposuit nomina, & tertiam partem dedit Thuscis, ut clarè tradunt Propertius in Elegiâ ad Vertumum, & alterâ paululùm præcedente, & Varro in 1. de Lingua Latina, & Fabius Pictor de origine Urbis* Romæ, *& Dionysius Halicarnassæus in II. Lib. & Mythici sub fabulâ* Jani *ejaculantis aquas sulphureas in Sabinos, ut Macrobius in I. Saturnalium, & Ovidius in I. de Fastis indicant. At lividus fuit LIVIUS, qui ut funditus extingueret Thuscorum fulgorem, & Triumphos obnubilaret, ab eis partos, non à* Romulis *gestos, omninò etiam scribere unum verbum neglexit. Quod profectò invidissimi hominis est officium, & negligentis veritatem in Historia. Similiter fuit verbosus, qui absq; certo auctore, & probatione dicit contrà Varronem, quod Lucerum nomen incertæ originis. Fabius enim Pictor antiquior eo, ostendit ab Historia esse Etruscæ originis, atque certissimæ.* Rursus *LIVIO antiquior, & doctior Varro in I. de L. L. dicit esse certæ originis à Lucumone Luceres dictos, idq; probat vetustissimis auctoribus,* Junio, *& Tolumnio Thuscarum Tragædiarum scriptore, &c.*

In hanc sententiam canicula ista latrans alios quoq; multos perduxit, & hos inter L. Joannem Scoppam Parthenopæum, qui Collectaneorum Lib. Cap. XVIII. *Eodem,* inquit, *tempore, & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt, Romenses à Romulo, à Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis, & originis causa*

causa incerta est. Hæc LIVIUS, non quod Lucerum originem ignoraret; sed perindè ac Gallus Cisalpinus, & Hetruscæ, Italicæq; gloriæ invidens conscripsit, quod Antonius Cæsar in suo Itinerario his verbis arguit. Velturna, cujus claris gestis invidet LIVIUS.

Verùm enimverò innituntur fundamento debili Auctores isti, & si qui sunt alii, qui insistant Antonini dicto. Nusquàm enim ea verba de LIVIO legere est in genuino, sivè Antonii, sivè Antonini Cæsaris, sivè Æthici, Itinerario, quod primus edidit Josias Simlerus, mox antiquis ex Codicibus correxit, & addito Commentario locupletavit Surita Cæsaraugustanus. Sed eo in Itinerario tantùm, quod Annius Viterbiensis commentus fuit, ac viris obesæ naris, uti germanum, obtrusit. Nihil isto planè Annii Itinerario indoctius, insulsius nihil. Quod & ipsa res clamat, & ubertim ostensum est à Philippo Cluverio in Italia sua. Amentis autem esse ex commentitio Antonini loco in LIVIUM debacchari, & insana proferre, nemo non videt.

Paulus Benius in LIVIUM quoquè nostrum stylum suum exacuit, Historiam ejus crebris convitiis lacessens. Siquidem is Lib. II. de Conscribenda Historia obiicit illud in primis Historico nostro Principi, *quod nimis Poëticus fuerit, nimisque longus, & aliquando dictionem habeat dissimilem, fortuitam, & interdum vastam, & inconditam.* Sed frustrà lividum hoc ingenium jugulare nisum est LIVIUM, imbrem, quod ajunt, in cribro gerens. An non enim Historia Poësi proxima, & stylus ejus quodammodò solutum carmen? An non illa sonis suis ac numeris constat, ut metro in animis hominum varios affectus excitet, & cum delectatione excitet, quò facilius improvidi quique ex aliorum factis, periculis, & monitis meliores fiant? Audiatur hic unus è multis Vossius Lib. I. de Historicis Latinis Cap. II. *Qui autem Historiam à se signatam exire, atque emanare in vulgus primi juberent, Poëtæ fuerunt.* Recenset autem Benius, exigui capitis, at exilioris cerebri vir, inter Poëticas descriptiones narrationem adventus Annibalis in Italiam, eamque propterea reprehendit, cum nulla diligentior, venustior, pulchrior toto illo in opere se spectandam prodat, satis ut hinc liqueat manifestè, quanti capitis hujus inepti convitia reliqua facere debeamus. Absolvit itaque latratus suos in LIVIUM Benius hac verborum strue: *LIVIUS in Epistolâ quâdam, filium ad eloquentiam aspirantem hortatur ut Ciceronem diligenter evolvat, & imitetur primùm, tùm cæteros, proùt quisque est Ciceroni simillimus, de suis scri-*

ptis, ne verbum quidem: Quæ tamen si ea tanti fecisset, filio item, Ciceronis exemplo, legendi proposuisset. Ecquis enim sanæ mentis pater, & alienus à fastu, filio suo auctor extitit, ut relictis aliorum operibus sua tantum evolveret? Vident per se oculati quique arrogantiam hominis, & derident. Cui ista non satis fecerint, cupietquè exactiorem defensionem LIVII adversus Benium intueri, legat is Epistolam Laurentii Pignorii XLIV. Balthassari Bonifacio scriptam. Fuerunt etiam, qui quererentur, rerum aliquarum memoriam in LIVIO subobscuram; sed nemo unquam impius adeò fuerit, ut non illi ignoscat, fatenti Lib. VI. candidè, & scribenti, se, *quæ ab condita Urbe Româ ad captam eandem urbem Romani sub Regibus primùm, Consulibus deinde, ac Dictatoribus, Decemvirisq; ac Tribunis Consularibus gessere foris bella, domi seditiones, quinq; libris exposuisse res cùm vetustate nimia obscuras, velut quæ magno intervallo loci vix cernuntur, tùm, quòd perraræ per eadem tempora literæ fuere, una custodia fidelis rerum gestarum: & quòd etiam, si quæ in commentariis Pontificum, aliisque publicis, privatisq; erant monumentis, incensa urbe plæraque interière: clariora verò deinceps, certioraque ab secunda origine, velut ab stirpibus lætius, feraciusq; renatæ urbis, gesta domi, militiæque exposita tradidisse.*

Illud sanè miror, tùm Budæum, tùm Henricum Glareanum, Viros utique sapientes, non esse veritos affirmare. *LIVIUM bellicosæ Gallorum gentis res gestas odiosè tractasse.* Quantum enim LIVIUS veritati studuerit, vel ex eo assequi conjectura possumus, quod in descriptione Belli Civilis, ne Augusto quidem, à quo unicè diligebatur, totque divitiis locupletatus fuerat, ac honoribus exornatus, in tantùm voluerit gratificari, ut aliter rem narraret, quâm factam sciret. Audiatur hic Cremutius Cordus, ità rem enarrans apud Tacitum Annal. IV. dum in defensione vitæ publicè peroraret: *TITUS LIVIUS eloquentiæ, ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret, neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum nusquam latrones, & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpè ut insignes viros nominat.*

Quod autem LIVIUS Gallorum genti infensus fuerit, minimè concedendum puto. Cùm ab omnibus habitus sit perpetuus canæ, nulloque livore suffusæ fidei cultor. At nolo quemquàm hic acerbius insectari, dixisse contentus, LIVIUM illorum temporum gesta, gentiumque mores, & id genus alia candidè adeò, & ex veritatis præscripto literis tradidisse, ut elogium illud jure sibi promeruerit: UNUS LIVIUS DIGNUS EST HABITUS

TUS CUJUS DIVINO CALAMO TANTÆ URBIS, AC POPULI ROMANI, TOTIUS ORBIS VICTORIS RES GESTÆ CONSCRIBERENTUR.

SENECTUS, ET OBITUS.

CAP. VII.

Floruerat inter cæteros T. LIVIUS Romæ Augusti gratiâ, & eâ celebritate nominis, quâ nullam majorem fuisse tradidimus suo loco, cum demum honorum satur, annis, & studiis fessus, accensus amore patriæ, Patavium cogitare cæpit. Romam itaquè, post Augusti discessum è vitâ mæstissimam reliquit LIVIUS, plausibus, & acclamationibus publicis receptus in patriæ sinum, cum illi Patavini omnes suis effusi sedibus, obviam prodire gestirent, clamantes, INGENS ILLUM ESSE PATRIÆ SUÆ DECUS, ET ORNAMENTUM, MANSURUM IN ÆTERNITATEM OMNEM. Hic ille in oculis Civium, patrii cæli aurâ recreatus, placido in otio, præteritorum laborum fructu fruens, cultus ab omnibus & dilectus aliquandiu vixit. At, cum omnes, quotquot vivimus, homines, nati eâ lege simus, ut quotidiè moriamur, mortalitatem demum explevit, imperante Tiberio Cæsare, anno ejus Imperii IV. redempti verò Orbis XX. ætatis denique gloriosissimè transactæ LXXVI. Constat id ex Vossio Lib. 1. de Historicis Latinis. *T. LIVIUS Quarto Tiberii anno obiit, quo & Ovidius decessit Tomis : Ut de utroque Eusebius in Chronicis testatur.* Id ipsum in Scardeonio legere est Lib. 1. Classe III. de Priscis Civibus Patauinis, & Memoriâ veteri, quam ex Prætorio Patavino nostro adducam infrà. Gaspari verò Conrado, asserenti in Prosopographia sua Melica, Milliario primo. pag. 98. L. (id est LIVIUS) obiit. A. M. 3993. A. C. 23. ÆT. LXXX. Sicchum Polentonum opponimus, sic loqu[redacted] in Epistolâ ad Nicolaum Florentinum, quam edidit eruditissimus Pignorius in Originibus Patavinis Cap. XVII. Prætereo famam, quæ LIVIUM Patavii, & natum & sepultum ferat. Adest Quintilianus is Oratoriæ Institutionis libro LIVIUM Patavii natum scribit. Adest *Eusebius de temporibus, Historicus fide dignus, LIVIUS Patavii moritur inquit. Adest Hieronymus, quem vitæ Sanctitas haud minus dignum facit. Libro enim de temporibus, LIVIUM Patavii & natum, & mortuum profitetur. Creditu enim facilè, mortuo Augusto (legerim, creditum enim facilè, quòd mortuo Augusto) repatriaverit, seu gratiâ uberioris otii; seu quòd Tiberius non tanti faceret divos homines,*

nes, prius Octaviani humanitate congestos. Commune vitium experimur, etiam filios patrum fautoribus æmulari.

Constat autem, obiisse LIVIUM Kalendis ipsis Januarii, quibus & Ovidius è vitâ decessit, quâ de re pulcherrima legitur Elegia Adeodati Sebe, quam hîc, lectu dignissimam, adscribemus.

TITO LIVIO
Et P. Ovidio Nasoni
COENOTAPHIUM
AB ADEODATO SEBA
Veseliensi scriptum.

ECce iterum Jani nobis rediere Calendæ:
Hei mihi, quos luctus, funera quanta ferunt?
Roma TITO quondam celebrata est maxima magno,
Est quoque Nasonis Carmine dicta sui.
Quæ te, NASO, tulit, quæ te, TITE, sustulit orbi,
Inter funestos est numeranda dies.
Non adeò infelix, quæ infames sanguine Cannas
Lux videt, & Latio tristia cuncta foro.
Nullum igitur munus nunc expectetis amici,
Munera temporibus sunt minus apta malis.
Fas mihi sit Patrum priscos contemnere ritus,
Fas mihi consuetas mittere jure preces.
Cernite, nunc tristi ploretur u[illegible]iquè cælo,
Mersaquè demisso terra sub imbre natet.
Ecce Venus, pullo vestita incedit amictu,
Dilaceransque genas, dilaniansquè comas:
Et pharetræ oblitus, luctuque immersus acerbo,
Nasonis cantat carmina mœstus Amor.
Ipse suas Ianus damnatque, oditque Calendas,
Et sua de Fastis tollere festa parat.

Flet

Flet quoque Neptunus, flet raucisona Amphitrite,
  Et Patrio plorat gurgite mersa Thetys.
Pelignæ lachrymis implent rura omnia Nymphæ,
  Et querulus Patavi mœnia Brenta lavat.
Tunc igitur lachrymas retinebis Roma cadentes,
  Nec poteris cæli questibus esse comes?
Hei mihi, quîd te olim, clemens Auguste, coëgit
  Tam sacrum Vatis sic violare caput?
Talia non docuit te quondam Julius ille,
  Qui dedit Italiæ sceptra secunda tibi.
Et te jam meritò clementem dicere quisquam,
  Ingeniumque potest dicere mite tibi?
Quæ nunquam Augusti potuit lenire furorem,
  Crudeles potuit flectere Musa Getas.
Namquè Tomitanis exul lugetur in oris,
  Nasonique parat barbara turba rogos.
Lugete, ô miseri vates, totumque jubete
  Parnassum alternos ingeminare sonos.
Flentibus en aderit Phæbus, Pallasquè favebit,
  Et peraget partes Numen utrumquè suas.
Vos quoquè, quos cæli dignissima cura fatigat,
  Ne rogo, ne quinta quærite luce lyram.
Illa etenim lumen cælo, terrisquè negabit,
  Lætaque cum charo Tartara vate colet.
At vos, ô Manes, quorum nec longa vetustas,
  Nobile nec delet nomen avara dies.
Vos, inquam, solos Jani gaudere Calendis,
  Vos dare lætitiæ munera signa decet.
Quippe TITUM vobis lux addidit ista peremptum,
  Hæc quoquè Nasonis lux dedit arte frui.
Ergo occurristis Manes venientibus illis,
  Totaquè in amplexus infera turba ruit.
Ennius inde pater, medium complexus utrinquè,
  Hic, ait, est Latii gloria tota soli.
Mox Varro, & Cicero properant, tersusque Catullus,
  Mox quoquè cum Nemesi culte Tibulle venis.

Et tu, qui dubium fecisti nomen Homeri,
Laudem cui debent rus, pecus, arma suam.
Quid Reges memorem priscos, fortesque Quirites,
Quoscumquè exoriens Roma, vetusquè dedit?
Scilicet ista TITUM venerata est undique turba,
Hannibal aspecto surgit & ipse Tito.
Vos, ô vos, Manes, æternos ducite lusus:
At nos perpetuò cura, dolorque prement.
Hanc igitur lucem luctu celebrabo quotannis,
Et vacuo injiciam thura, merumquè rogo.
Hi tumulo versus deinde inscribentur inani:
Forsan & hos olim postera turba leget.
QUISQUIS ADES VACUUM NASONIS CERNE SEPULCHRUM.
QUISQUIS ADES MAGNI CERNE SEPULCHRA TITI.
ORPHEI QUOD PRECIBUS PLUTONIA REGNA DEDERE,
HOC TITUS ET MAGNUS NASO DEDERE SIBI.

LIBERI EX MONUMENTIS PUBLICIS.

CAP. VIII.

Ex duabus uxoribus T. LIVIUS noster filios duos suscepit, T. LIVIUM *Priscum*, & T. LIVIUM *Longum*, ambos paternæ disciplinæ asseclas, & hæredes, quorum memoriam, nec non & *Cassiæ*, uxoris primæ, nobis sartam, tectam, & integram conservavit Inscriptio marmorea vetus, quæ legitur in ædibus Annibalis Capilistii, Cataphractorum militum Ductoris, Serenissimæ Reipublicæ Venetæ nomine, è regione templi Divo Danieli sacri.

T. LIVIUS C. F. SIBI
ET SUIS.
T. LIVIO T. F. PRISCO F.
T. LIVIO T. F. LONGO ET
CASSIÆ SEX. PRIMÆ
VXORI.

Filias idem quatuor habuisse dicitur, quarum ultimam, nomine LIVIAM, nupsisse tradidimus alibi *L. Magio* clarissimo Viro. Mos enim Antiquorum fuit, ut fœminæ nomen à familia sortirentur. Quam ob causam, *Octaviam*

Octaviam à familia Octavia dictam accepimus, *Terentiam* à Terentiâ, LIVIAM à Livia, hoc ordine, ut, quæ primo loco nata esset, vocaretur *Octavia prima*; quæ secundo, *secunda*; quæ tertio, *Tertia*; quæ quarto, *Quarta*, ut hæc LIVII nostri filia, quæ hoc ex more QUARTA dicitur in veteri Monumento, Statuæ Patris à Concivibus nostris apposito in ipsomet Prætorio publico Patavino.

V. F.
T. LIVIUS
LIVIÆ T. F.
QUARTÆ L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SUIS
OMNIBUS

OSSA QUO TEMPORE INVENTA, QUA CELEBRITATE CONDITA.

CAP. IX.

Ossa T. LIVII in plumbeâ capsulâ apud sacras ædes D. Justinæ inventa sunt, Anno Salutis Humanæ MCCCCXIII. Dum enim tunc temporis Marinus Ludovici Barbi, Canonici nostri, frater ad illud cœnobium reformandum accessisset, sibique ponè Abbatis domicilium ædiculam extruere cogitasset, & pro fundamentis altiùs effoderetur, apparuit illicò vetustissimum pavimentum ex quadratis lateribus & calce omni parte compositum, quo leuiter fracto, inclusa in eo capsa plumbea reperta est, longa pedes sex, alta verò, & lata æquè ultrà pedem. LIVII mox clamatur, quod relatu Fratrum sepultus ibi LIVIUS haberetur, & Monachi, qui meminerant ibi veterem effosum lapidem cum LIVII Epitaphio, unanimes corpus esse LIVII faterentur, quod & Polentonus affirmat in laudata Epistola, rei totius oculatus testis.

Inter hæc summâ totius civitatis lætitiâ divulgatur, repertum T. LIVII corpus. Jamque ad illud Nobilitas omnis accurrerat, & ex ossibus frag-

menta diripere conabatur. Amplectebantur cuncti capsulam plaudentes. Multitudo verò populi tanta confluxerat, ut Monachi eo concursu perterriti de comburendis LIVII ossibus cogitarent, ut à Gentili viro venerationem insolitam amoverent. At Rolandus Monachus, rogatus â Nobilibus, arcam, & ossa T. LIVII Patriæ dono dedit. Inde magno omnium Civium conventu, ac celebri pompâ totius civitatis, Nobilium ipsorum humeris in Forum maximum deportata sunt.

Liceat mihi hoc loco illustres viros recensere, qui vicissim humeros his ossibus submisere. Alterum modò repertæ arcæ ligneæ caput Andreas Dandulus Patricius Venetus, alterum Siccho Polentonus, medium subiere Palamedes, vulgo Palaminus, Vitalianus, & Peraghinus Peraga Aureati Equites, Alexander de Doctoribus, Jo. Franciscus Capilistius, & Nicolaus Porcellinus. I. C. Sequebantur Zacharias Trivisanus Prætor, & Leonardus Mocenicus Præfectus: mox quicumque literarum studio, vel patriæ amore tenebantur, ut ante nos prodidit Polentonus, & Jacobus Cavatius Lib. V. Historiarum Cœnobii D. Justinæ, Patavinæ, ad quorum scripta Lectorem remittimus non inviti. Eam sanè famam respiciens Theodorus Zuingerus in Methodo Apodemica Lib. III. pag. 273. hæc ad posteros transmisit. *T. LIVII ossa, ad D. Justinæ anno salutis cIↃ CCCC. XIII. reperta in plumbea capsula, insigni pompâ, succollantibus viris nobilissimis, in foro judiciorum ad Occidentalem partem reposita fuère cum inscriptione, & effigie ejusdem.* Et in additionibus ad Historicos Latinos Vossius. *Sepulcrum LIVII, ut quidem Blondus, eoquè ex auctore Leander refert, Patavii fuit, ubi olim Junonis templum, at nunc Monasterium B. Justinæ, quod tenent nigri Monachi Benedictini.* At Blondus Flavius, qui â Secretis fuit Pontifici nostro EUGENIO IV. in sua Italia illustrata non *Junonis* templum, sed *Jovis* fuisse D. Justinæ Cœnobium hisce verbis affirmat.

Est in hac urbe D. Justinæ Virginis Templum, amplissimæ cujus ædes mille in circuitu passus amplexæ, aquis circumlevuntur: Quod in vetustæ ædis vestigio ædificatum fuisse hinc constat, quòd effodientes ubiquè pulcherrima inveniunt lithostrata. Eodem in loco T. LIVII sepulchrum ætate nostrâ repertum fuisse conspeximus, ut credere liceat, vetustum Jovis templum ibi fuisse, in quo ipse LIVIUS in X. narrat spolia de Cleomini Lacedæmonis piratæ Victoriæ Patavium reportata fuisse. Ceterùm, cùm ossa LIVII Zacharias Trivisanus Prætor in penetrali suo locari cuperet, Senatus habitus est pro Musæo T. LIVIO erigendo, in eoque quorundam sententia fuit, apud Fanum Sancti Clementis, quâ Forum respicit, publico

ære

ære Cœnotaphium illi ê marmore erigendum. At Optimates quidam privatâ pecuniâ LIVIO multò nobilius monumentum pollicebantur, si propè suas ædes illius ossa transferrentur. Ad eam rem contendebant Ludovicus Buzacharinus Vir Clariss. & Henricus Scrovinius Eques. At tandem Senatui, populoque Patavino publicam in LIVIUM pietatem declarare visum est magis illius ossibus ad Occidentalem Prætorii parietem deportatis, & suprà portam illius conditis, quod & illicò peractum est, adjectâ imagine, & elogio, quod hisce verbis ad hanc usque diem Prætorium intro euntibus se spectandum offert.

OSSA
T. LIVII PATAVINI
UNIUS OMNIUM
MORTALIUM JUDICIO
DIGNI CUIUS
INVICTO CALAMO
INVICTI P. R.
RES GESTÆ
CONSCRIBERENTUR.

Auctor hujus Epitaphii fuit Leonardus Justinianus, qui tunc temporis erat civitatis Prætor, ut refert Guilielmus Ongarellus in suâ Cronicâ.

De sepulchro verò & effigie T. LIVII hæc habet Pighius in Hercule Prodicio: *Ascendunt deindè in sublime Prætorium plumbo tectum, Palatium majus appellant, statuis & picturis excellentibus ornatissimum, ubi monstrantur Carulo virorum illustrium Patavinorum effigies, qui suis virtutibus immortalem famam nacti, urbem illam vel nativitate, vel morte suâ decorarunt. Et ne longus sim in enumerandis singulis, quorum imagines Principi tùm ostendebantur, ut T. LIVII, Romanæ Historiæ Principis, cujus etiam ossa perhonorificè ibidem marmoreo in sepulcro condita esse affirmant, &c.*

HONORES OBITUM CONSECUTI, ejusdemq; memoriæ posita monumenta.

CAP. X.

Scio Monumenta, T. LIVIO posita, collecta â multis, ne tanti Viri

memoria ullis unquàm seculis interiret. Congessit illa Scardeonius in volumen suum; idemque pari Genio, feliciori calamo, præstitit Franciscus Suvertius in Delitiis Orbis. Verùm enimverò, ut hic eorum multa præteriit, sic apud illum quæ extant, confusè adeò in vastam illam memoriarum molem ingesta sunt, ut in quodam Chao jacere miserrimè videantur. Nostrum igitur fuerit, id præstare, ut eadem, & si quæ sunt alia, lucem habeant meliorem, disjectisque nubibus clariùs micent. Præclarum & illustre T. LIVII Monumentum illud est in primis, quod in interiori Occidentali parte Prætorii nostri sæpè, ac sæpiùs legimus non sine sensu aliquo voluptatis. Liquet autem ex eo, sapientissimum Alphonsum, Aragoniæ Regem, anno cIↃ CCCCLI. per Legatos suos Os brachii T. LIVII, quod præclara illa Commentaria conscripserit, â Repub. Patavinâ impetrasse, ut Neapolim honoris gratiâ deferretur. Verba denique sic illius habent:

INCLITO ALPHONSO.

ARAGONUM REGI STUDIORUM FAUTORI REIPUBLICÆ VENETÆ FOEDERATO ANTONIO PANORMITA POETA LEGATO SUO ORANTE ET MATTHÆO VICTURIO HUJUS URBIS PRÆTORE CONSTANTISSIMO INTERCEDENTE EX HISTORIARUM PARENTIS T. LIVII OSSIBUS QUÆ HOC TUMULO CONDUNTUR BRACHIUM PATAVINI CIVES IN MUNUS CONCESSERE ANNO CHRISTI M. CCCC LI. XIIII. KAL. SEPTEMBRIS.

Excepit Os illud, Neapolim adsportatum, summo cum honore Regius literarum pater, at; dum illi Musæum propriu n erigere cogitat, vitâ excessit. Mansit ob id penes Panormitam, indê devenit in Pontani, Regni illius â Secretis, manus, â quo demum locatum est in urnulâ & inscriptione hujuscemodi decoratum:

T. LIVII
HISTORICI BRACHIUM
QUOD OLIM ANTONIUS PANORMITA
A PATAVINIS IMPETRAVERAT,
JO. JOVIANUS PONTANUS
MULTOS POST ANNOS CONDIDIT.

At ea quoque memoria periit Pignorio teste suis in Originibus Patavinis

tavinis ex epistola, quam Jo. Vicentius â Porta scripsit D. Peireschio Senatori Regis Galliæ anno cIↄ. Iↄc. II.

Anno vero cIↄ. Iↄ. XXXXVIII. Ossa eadem translata fuere in eminentiorem locum ejusdem Occidentalis partis Prætorii nostri, ubi nunc spectatur T. LIVII Mausolæum, nobilitatum tabellis æneis, inscriptionibus, & vetustissimâ ipsius imagine marmoreâ, quam ab Alexandro Bassiano, antiquitatis præclarissimo cultore, inventam Civitas dono accepit. Sub illa imagine marmor id adspicitur, quod olim effossum fuerat in D. Justinæ Templo, ibiquè loci, ubi Ossa ipsa postmodùm reperta sunt, V. F. T. LIVIUS, &c. nempè â nobis alibi est productum. Dexteram Musæi partem obtinet *Æternitatis* statua: lævam *Minervæ*. Sub Æternitatis pedibus *Tybris* excurrit, sub Minervæ *Medoacus*, & hos inter amnes in meditullio Musæi spectatur Lupa, Romulum, & Remum sic ablactans.

Effigiem Mausolæi LIVIANI Vide Supra Pag. 304. delineatam

Legitur demum sub his omnibus in ænea tabula tale Hexastichon Lazari Bonamici, præclarissimi Vatis:

Ossa, tuumq; caput Cives tibi, maxime LIVI,
Prompto animo hic omnes composuêre tui.
Tu famam æternam Romæ, Patriæque dedisti:
Huic Oriens, illi fortia facta canens.
At tibi dat Patria hæc, &, si majora liceret,
Hoc totus stares aureus ipse loco.

Ubi notandum quartum carmen ab Auctore Monumentorum Italiæ, & Georgio Merula sic produci:

Hinc mens, illi fortia facta canens.

Quam lectionem neque Bonamici Hexastichon admittit; neque sententia; neque carmen ipsum.

Subjicitur ei tandem annus, quo LIVIUS obiit, ab Eusebio petitus, his notis:

T. LIVIUS
QVARTO IMPERII
TIBERII CÆSARIS
ANNO VITA EXCESSIT
ÆTATIS VERO SUÆ LXXVI.

Extat & altera ejusdem Historici Memoria celebris admodùm & illustris suprà aliam portam Prætorii dicti sub alia magna statua lapidea, habitu tenentis librum apertum, manu ad os adjectâ, hac gnome: *Parvus ignis magnum sæpè suscitat incendium.*

T. LIVIUS PATAVINUS.

HISTORICORUM LATINI NOMINIS FACILE PRINCEPS CUJUS LACTEAM ELOQUENTIAM ÆTAS ILLA QUÆ VIRTUTE PARITER AC ERUDITIONE FLOREBAT ADEO ADMIRATA EST UT MULTI ROMAM NON UT URBEM RERUM PULCHERRIMARUM AUT URBIS ET ORBIS DOMINUM OCTAVIANUM SED UT HUNC VIRUM INVISERENT AUDIRENTQUE A GADIBUS PROFECTI SUNT. HIC RES OMNES QUAS POPULUS ROMANUS PACE BELLOQUE GESSIT QUATUORDECIM DECADIBUS MIRA STILI FELICITATE COMPLEXUS, SIBI, AC PATRIÆ GLORIAM PEPERIT SEMPITERNAM.

Cernitur & hic vetustissimus lapis in ædibus Alexandri Bassiani:

T. LIVIUS
T. L.
OPTATUS AN. XV.

Et hæc Inscriptio in Zabarellorum aulâ ad D. Laurentii sub ejusdem effigie picta, auctore Joanne Cavacio Patavino.

T. LIVIUS C. F.

Natus antè bellum civile Cæsaris, & Pompei, Quintiliano teste, in Historia nemini secundus. Cornelius Tacitus, eloquentiæ, ac fidei primas ei attribuit. Authore Seneca docuit Salustium sumpta ex Thucydide depravasse. In ultimis terris quanta hujus viri fama fuerit, D. Hieronymus ex Plinio ostendit. Ipso hortante Claudius Imperator adolescens scripsit historiam. Amicitiæ Augusti, licet Pompejanus, non offecit, militiâ, civiumq; concordiâ insignis, & auctus filiâ L. Magio Oratori Romano nuptâ. Epitaphium sibi, & suis omnibus Patavi V. F. ubi excessit anno IV. Imperii

Tiberii

Tiberii Cæsaris, ætatis LXXVI. Quod & propria effigies unà cum suis reliquiis munere patriæ in magno palatio extat.

Hæc servat adhuc Patavina Civitas Civis sui doctissimi Monumenta. Adhæc vulgus, Domum Alexandri Bassiani, marmoribus, statuis, & inscriptionibus ubiquè refertam, Domum LIVII nuncupat, cujus ergò magnis advenarum concursibus celebratur. Scraderus etiam, Patavii in Domo Liviâ se vidisse prodidit effigiem T. LIVII, quam ita descripsit: *Caput T. LIVII sine barba, Collapsis genis, facie rotundâ, lineis auriculis longis, naso acuminato.* Pari errore decepti Tituli accolæ, somniarunt LIVIUM inde ortum duxisse suum, domumque illius videndam exhibent, & facti memoriam istam:

TITUS LIVIUS
PATAVINUS
NATUS IN TITULO
ET TITULI SPLENDOR
ALOVISIUS A TURRE
BUCCINELLUS VICARIUS
FIERI FECIT
MDLXXXXIX.

Imago nostra ex illa Bassiani delineata est, quæ repræsentat sitam nostro Prætorio ad amussim. Cæterum, quod innuit Pignorius eam, quæ in Prætorio visitur, non T. LIVII effigiem esse; sed *Lentuli Marcellini*, aut Claudii *Marcelli*, placere nequaquam potest. Quippe prorsus illi dissimilis *Marcellini* effigies, quam idcircò spectandam damus ex Numismate, quod illius esse testati sunt Gabriel Symeon in Dialogis, & Ursinus in Familiis Romanorum.



Facies imberbes Virorum ita similes sunt, ut interdum una pro altera in statuis capiatur. At cùm certo certius perspectum, & cognitum habeamus, ab Alexandro Bassiano, antiquitatis studiosissimo, Monumentum hoc pretiosissimum Patriæ dono datum, an non is, si Monumentum illud alterius fuisse comperisset, quàm LIVII, dum eo Patriam suam decorare nititur, amantissimus Civis, eandem in fraudem induxisset? Neque verò *Caligula, infensus T. LIVII nomini imperator, illius imagines*(Tranquilli verba sunt in ejus Cæsaris Vitâ) *abolevit; sed paullùm abfuit, quin statuas, & scripta T. LIVII ab omnibus Bibliothecis amoveret.* Quod si illas abolere jussisset, nequaquam probus Historicus Tranquillus, qui Trajani, & Hadriani PP. Im. ætate vixit, & extra metum omnem Caligulæ historiam scripsit, dixisset: *paullùm abfuit, quin statuas & scripta T. LIVII ab omnibus bibliothecis amoveret; sed, T. LIVII imagines Caligulâ Imp. jubente, unà cum scriptis ejus abolitæ sunt.*

Credendum verò est, T. LIVII imagines non secus, ac illas Cæsarum, in honore ac pretio tùm fuisse, ob existimationem summam, quam illi scripta sua conciliarant singularia propemodùm, & divina: indeque factum, ut una illarum in manus Bassiani devenerit, quâ patriam suam eximii loco muneris exornarit. Hanc nos uti veram T. LIVII imaginem absque ullo dubio veneramur. Nolumus enim antiquitatem illius in dubium revocare.

At enim imaginem Patavini LIVII conata fuerit antiquitas abolere, ea re quidem certè minus ideò nobis dolendum est, quod redivivum illum intueamur in altero Patavino Cive longè clarissimo, ANTONIO QUÆRENGO, cujus scriptis, quamdiu Latinæ, Etruscæque florebunt literæ, *semper bonos, nomenque suum, laudesque manebunt.*

Hic enim seculi nostri LIVIUS jure omnium ore colitur, salutatur, cùm nullus eo propius LIVII stylum attingat, sive locutionem ejus gravem & candidam, sive rerum gestarum narrationem, sive locorum descriptiones spectes. Novit id ingeniorum accerrimus æstimator Perronius S. R. E. Cardinalis, qui cum Henrico IV. Magno præstantiam illius suis ex meritis adumbrasset, in causa fuit, ut ab eo Lutetiam Parsiorum magnis propositis præmiis fuerit evocatus, quo sua egregia, regiaque facinora literis consignaret.

Novit & Ranutius Farnesius magni æquè animi, ac ingenii Princeps, qui unum illum Parmam accersiit, ut is sibi pro dignitate scriberet res in Belgio, & alibi ab ALEXANDRO patre, & Imperatore fortissimo gestas, quod

quod egregiè re ipsa præstitit, secutus tanti Principis judicium, immò & feliciter assecutus. Æmulatur ille scilicet ea in uberrima segete pulcherrimarum rerum LIVIUM concivem suum, eundemque nobis graphicè repræsentat. Extat ejus porrò divinæ scriptionis nondum typis editæ in Commentario brevissimo exemplar unum, quod vidi penes V. C. Fratris ejus Filium, FLAVIUM QUAERENGUM, Cathedralis Ecclesiæ Patavinæ Canonicum, cujus Dignitatis personam æquè in illa dignè sustinet, ac Philosophiæ Moralis interpretis in publicis Patavinis Scholis. Alterum apud Hispaniarum Regem. Tertium in Bibliotheca Farnesiorum Ducum. Quartum in Musæo tuo, Illustrissime ac Excellentissime MOLINE, qui præ cæteris ingenium Viri tanti facis, hoc titulo;

ANTONII QUÆRENGII
De Rebus Gestis Alexandri Farnesii Parmæ
& Plac. Ducis Historia.

Et initio tali: *ALEXANDRO Farnesio primæ rudimentum militiæ victi maritimo prælio Turcæ ad Naupactum fuère.*

Talique fine: *Hic secundus Farnesii in Galliam transitus fuit, sed & tertium, ut Regiis Comitiis interesset, quamquam supremo morbo implicitus, apparabat, cum militaris disciplinæ, ac virtutum omnium præclaris laudibus invidiam jam supergresso, inimicum felicitati Belgicæ fatum manus injecit.*

Auxit itaque Scriptor hic nobilis adeò præstanti divini sui ingenii monumento patriæ suæ decus, ut LIVIUS Historiâ Romanarum rerum: auxit & ornamenta domus, non hoc uno nomine toti terrarum orbi notus, sed & Theologiæ, Philosophiæ, Iurisprudentiæ, Poësis, & amœniorum quorumque studiorum cultu, quibus veluti radiis, solis instar longè, lateque conspicuus cum Aulæ Farnesianæ micuisset satis, Romam illustrare cœpit, ibique summis continenter Pontificibus illius carus, ut in universi Centro novum exemplo suo TICHONIS Sistema confirmavit, sibi semper æqualis undique, vitæque semper integerrimæ, & Eruditionis, ac doctrinæ sanæ & solidæ jubar undequaque cum amore pariter, & admiratione diffundens. Sed hæc aliàs pluribus in Elogiis nostris. Satis enim hic habeo demonstrasse leviter, in ANTONIUM QUAERENGUM commigrasse LIVIUM, ut eo nunc sospite, magni illius luminis extincti dudum, stylum & imaginem habeamus, cujus nos aspectu æternùm pasci Cælites patiantur.

ELOGIORUM RELIQVIÆ

Coronidis loco, & postremum.

CAP. XI.

Laudent T. LIVII vitam ejus Encomiastæ hactenus non allati, ducetque Paterculus familiam reliquorum. Ejus enim ista sunt Lib. II. *Penè stulta est inhærentium ingeniorum enumeratio: inter quæ maximè nostri ævi eminent Princeps carminum Virgilius, Rabiliusq́, & consecutus Sallustium LIVIUS, Tibullusq́, & Naso perfectissimi in forma operis. Nam vivorum, ut magna admiratio, ita censura difficilis est.*

Philippus Cominæus putavit *LIVIUM Latinorum Polybium, omnibus Senatoribus, ac Gubernatoribus rerum publicarum perlegendum.*

Isaacus Casaubonus ad eundem transtulit illud Senecæ Rhetoris de Oratorum Principe Encomium; *Populum Romanum hujus unius ingenium par imperio suo habuisse.*

Georgius Corvinus, & Sigismundus Feirabentus Bibliopolæ Francofurtenses in Præfatione operum ejus, à se editorum A. M. D. LXIV. *LIVIUM Historicorum aliorum omnium Principem, & Rerum Romanarum divinum explicatorem vocant.*

Iidem in alia Nuncupatoria editionis alterius in 8. ita de illo scribunt: *Nam, quod ad Auctorem attinet, talis est, ut vivus lacteo eloquentiæ fonte nobiles, quos Roma ad sui contemplationem trahere non potuit, nominis sui famâ, ut Hieronymus ad Paulinum refert, de ultimis Hispaniæ, Galliarumq́ finibus pertraxerit, & moriens ob eorum, quæ describit, magnitudinem, varietatem, præstantiam, utilitatem, ac jucunditatem, dignus sit habitus, qui ad Rom. Historiæ cognitionem, prudentiamque civilem cum eloquentia comparandam præ cæteris in manibus omnium teneretur.*

Philippus Beroaldus in Oratione habita in enarratione ejusdem, ac Silii Italici, præter ea, quæ suprà produximus ex eodem, hæc alia adducit:

Eodem animo LIVIUS bella scriptitavit, quo Romani gesserunt, eodem ingenii fulmine stylum exercuit, quo Rom. pop. arma tractavit, eâdem vigilantiâ incubuit chartis, qua Rom. milites disciplinæ militari incubuerunt. Et medius fidius videtur Pop. Rom. vel ob hoc unum tam memorenda facinora gerere voluisse, ut illa tàm â luculento Scriptore describerentur, qui res haud dubiè luculentas verbis luculentis æquavit. Quem quotiescum-

tiescumque in manus sumo, non legere videor bella, sed tractare, & (ut inquit Hieronymus de Paulo) non audire verba, sed tonitrua. In LIVIANIS voluminibus videre videor Imperatores concionabundos, militesque suos exhortantes ad prælia alacri animo capessenda, Senatum de rebus dubiis consultantem, hostes hinc formidolosos trepidare, Romanos hinc furibundos invadere. Denique apud LIVIUM omnis rei militaris disciplina continetur, omnia stratagemata, omnes calliditates Imperatoriæ demonstrantur. Leges Senatus, Populique decreta, omnes denique artes, quibus domi, forisque vivitur, conspiciuntur. Sed, proh dolor, quantam jacturam passi sunt omnes literarum studiosi ex centum decem voluminibus LIVIANIS deperditis, qui omnia, quæ unquam Rom. per septingentos annos gesserunt, præclara facinora, veluti in unum redacta corpus, noscere potuissent. Quanto dispendio affectus est Pop. Rom. cujus tot, ac tantarum rerum gestarum memoria cum libris LIVII pariter interiit. Quantum veræ famæ detrimentum Illustriss. Imperatores subierunt, quorum nomina fuissent sempiterna, & gesta memorarentur, si LIVIANA volumina non intercidissent. Quod si defunctis ullus est sensus, profectò LIVIANOS manes ingemiscere credendum est, tot labores incassùm sibi fuisse susceptos, tot nequicquàm vigilatas noctes, tot frustrà conscripta volumina, quæ si extarent omnia, nihil prætereà foret nobis desiderandum. Haberemus, in quo otium, in quo tempus benè collocare possemus, & tamen nobis, utpotè somniculosis vix ætas suppeteret ad legendum, quæ illi divinâ quadam benignitate prædito suppeditavit ad scribendum, qui etiam Dialogos (ut inquit Seneca) Philosophorum more conscripsit.

Pertinent huc etiam illa Francisci Petrarchæ de otio, & solitudine quorumdam virorum Cap. III. Tract. II. *Quædam enim ætas illustrium apud nos ingeniorum fertilior fuit. Marcum Varronem, Marcum* Ciceronem, *Sallustium, & LIVIUM, innumerabilesque alios uno tempore suis licet vivendi gradibus distantes habuit qui se invicem viderint, vel videre potuerint.*

Et Cap. VIII. ubi de studio T. LIVII ex professo: *Atque ut mœnia Urbis egressi non statim ex Italia fugiamus: quo studio putandus est arsisse T. LIVIUS Patavinus, qui omnem Romanam Historiam ab Urbe condita ad Cæsarem Augustum, cujus ipse claruit temporibus, centum quadraginta duobus voluminibus scripsit. Opus ipsa mole mirabile, stupendumque, præsertim, quia in eo nihil raptim, & tumultuariè, ut ajunt, stylo, quod quidam solent, qui omne verbum labiis oblatum scriptis mandant, sed tantâ majestate sententiarum, tantâque verborum modestiâ complevit omnia, ut ab arte eloquentiæ non multum abesse videantur. Sed heu quantam ætatis nostræ maculam. Hujus tam ingentis, tamque egregii operis vix portio subest exigua quidem. Cum in Decades, vel ab ipso conditore, vel quod magis reor à fastidiosis postmodum lectoribus sectum foret, ex quatuordecim, non nisi tres decades supersunt, prima scilicet, tertia, & quar-*

quarta. Secundam quidem ipse ego hortante quondam sacræ memoriæ Roberto *Siciliæ* Rege *summâ, sed hactenus inefficaci, diligentiâ quæsivi. Atq; utinam falsus vaticinator inveniar. Citò enim, nisi mores hominum mutentur, de hoc eventurum vereor, quod olim proposuerat Cajus Caligula nequissimus tyrannorum, de quo est apud Suetonium Tranquillum, quod T. LIVII Historiam, & Virgilii Poëtæ libros, & imagines parùm abfuit, quin ab omnibus Bibliothecis amoveret: utq; ingenio viri hujus clarissimo nubem oblivionis, quam non attulit imperiosa crudelitas, auferat sensim injuriosa segnities.*

Gaspar Cunradus Sil. in suâ Prosopagraphiâ Melicâ millenario primo pag. 98. Titulo:

T. LIVIUS HISTORIOGRAPHUS.

Optimus Historiæ Romanæ LIVIUS auctor.
O plenè hoc magnum nunc superesset opus.

ANTONIUS LUSCUS
in Carmine ad Joannem de Nogarolis.

LIVIUS è manibus nunquam cadat, ille docebit,
Auspiciis quibus orta prius, quo Principe, quantis
Consiliis firmata fuit R*espublica,* Regum
Diversos mores, majestatemque Senatus,
Et causas bellorum omnes, & cum quibus acta:
Quo fato, quo consilio, quo jure per omnes
Crevit in imperium virtus Romana labores.
Illa severa vetus quæ disciplina Quiritum
In castris, quæ norma domi, quo more, quibusve
Legibus Italiam primò, post fortior urbes
R*oma peregrinas fracta Carthagine tandem*
Strinxerit.

T. LIVII
EPITAPHIUM
E BERNARDI GEORGII
Prætoris Patavini carminibus.

LIVIUS extinctus jacet hic, quem fama superstes
Incolumem servat, tùm superesse facit.

Quem

Quem labor, & studium, phrasis quoq; lactea, priscas
Scribentem historias Sydera ad usque vehit.
Multum igitur debes Patavis Roma inclyta, nam te
LIVIUS exaltat, dum tua gesta refert.
Adriacam donec præterfluet Albula molem,
Tantisper LIVI fama superstes erit.

Balthassar Bonifacius de Scriptoribus Romanæ Historiæ:

T. LIVIUS Patavinus lac Musarum, mare tranquillum, anima eloquentiæ, eorum, qui nunc supersunt Scriptorum Romanæ Historiæ longè Princeps, lactea quadam ubertate dictionis divinitus facundus, amans virtutum, osor vitiorum, rectus judicii rerum togæ, rerum sagi, & si non ex usu, neq; experientia, egregiè tamen peritus, ab urbe condita ad Divi Augusti ævum centum & quadraginta libris divinas illas lucubrationes perduxit, quarum tamen longè maximam partem, ingenti rei literariæ jacturâ deperditam, nunquàm fortassè inventam desideramus, nec tanti operis reliquos habeamus, nisi quinque & triginta libros. Et alia è numero VI.

Angelus Portinarius in Felicitate Patavina, Italico Idiomate conscriptâ, vitam LIVII tetigit Lib. VII. Cap. III.

Ioannes Velcurionis in Annotationibus in ipsummet T. LIVIUM hæc scripsit:

Cæterùm de vitâ LIVII plura hic dicere non attinet, qui procul dubio omnium Historicorum Latinorum Princeps judicari debet: quia res omnes â Populo Romano pace, belloquè amplius septingentis sexaginta annis ab Urbe condita gestas, copioso simul, & fluenti, invictoq; stylo perscripsit. Romæ habitus in maximo pretio, & celebritate sub Octavio Cæsare Augusto, apud quem in magna fuit gratia, tametsi eum Cæsar Pompejanum vocare soleret, quia liberius civilia bella Cæsarum descripserat.

Cælius Rhodiginus Lectionum antiquarum Lib. XXV. Cap. III.

Et amplitudo illa Patavini Historici lactea, & redundans, itaquè legentem sæpè afficiens, ut stupore quodam adobruat penè, alere longè pinguius ingenia mihi videtur, adeo ut (sicuti in pictores ille ait, qui nescirent manum de tabula) oculos â lectione revellere nequeas. Ita dicendo non adumbrat modo omnia, sed & exprimuntur graphicè. Vbertas illa prædulcis, & austera tamen, nec decocta, nitida sine labore (ut de Theophrasto Seneca scribit) efflorescens quoq;, nec affusa modo nectare, sed quodam Circes (quam Deam intelligi voluit literarum Princeps Homerus) delibuta veneficio est. Abire cupis, retinent blandis amoribus inenarrabilis facundiæ vastitas, quæ tamen vasta non est, sed compta honestius, culta pretiosius, expolita divinitus, nusquam fucus puerilis, aut pigmenta inania, nusquam vibratior cincinnus. Non ades, provocat prægustata

amœnitas, Sirenum cantibus longè potentius, quas surdus demùm remex pertransisse narratur! istam odore modo perceptam, nec cæcus quidem neglexisse possit. Iam quid de eruditione dicam, Et alia præclara multa.

Blondus quoquè Flavius in sua Italia loquens de Civitate Patavina LIVII mentionem facit, sicut & Itinerarii, & Cosmographi reliqui, tradentes hoc unum Patavinæ Civitatis monumentum præclarissimum extitisse. Sic Zacharias Lilius in suo Orbis Breviario in Venetis de Patavio meminit LIVII cum honore. Sic Marcus Guatius in sua Chronica præclarè sentit,& loquitur de LIVIO nostro,sicut & Historici omnes, qui post illum eorum gesta temporum edidêre.

IN EFFIGIEM
T. LIVII
PETRI LINDEBERGII
ROSTOCHIENSIS
Hexasticon.

Et fax præterite, & fons Suadæ, ò inclyte LIVI, es,
Et certus veri nuncius, atq; fides.
Cara tibi Historia est, per te quoque mortua vivunt,
Stant sua virtuti præmia, pœna malo.
Undè tui Cives, quorum facta optima scribis,
Te LUMEN vocitant, HISTORIÆQUE PATREM.

JACOBI PASCHARII
LOTHARINGI
DISTICHON
in Eandem.

LIVIUS effusè, breviterque enarrat, ut illi
Adiiciat Momus, tollere nulla queat.

FINIS.

KOPΩ-

ΚΟΡΩΝΙΣ
LIVIANA
Hoc, est
SUMMA. HISTORIÆ
T. LIVII. PATAVINI
Memoriæ, juvandæ, causa
Ab
Auctoribus, Clarissimis
Accuratè. &. Methodicè conscripta
Ac
FASTIS. LIVIANIS. ET. ENCOMIASTICO
EJUSDEM
Pro. CORONIDE, adjecta
ab

ELIA CONSTANTIO. von. Trewen
SCHRöDER. GEDANENSI. IC
ET. SAC. REG. MAJEST. POLON
SECRETARIO

Christianus Gueinzius in Tractatu, Vitis Historica, dicto. Pag. mihi 78. usq; 99.

LIVIUS.

In Cujus opere describitur Historia Romana vel quoad Minorem Ætatem, *quæ describitur in* integris Operibus antè captam Urbem.

Tùm in Infantia; *ubi fundata Respubl. & quidem* sub Regibus; *ubi* Adventus Æneæ *in Italiam*; Romuli & Remi *Origo*; *Fundatio Romæ*; Numæ Pompilii *Constitutio Sacrorum*; Tulli Hostilii *Bella*; Anci Marcii *Urbis Cura*; Tarquinii Prisci *Administratio in munienda Urbe*; Servii Tullii *Census*; & Tarquinii Superbi *Tyrannis Exclusioq; habetur* LIB. *I*.

Tùm Adolescentia: ubi administrata partim à solis Consulibus, *& quidem postquam* Brutus *jurejurando populum adstrinxerat, ne* Regem *susciperent, agrum Marti consecraverat*; Tarquiniorum *copias fudit*; *Populo* Rom. Lex *de Provocatione ad Populum lata*; Cocles Horatius Porsennam Regem, *ne Tiberim transiret, probibuit*; Mutius *aberrantem manum exussit*; Cloelia *virgo per Tiberim transnavit*; Plebs *revocata est*; Marcius Corriolanus *persuasus à matre & uxore ut recederet ab Urbe*; Oppia *virgo ob incestum viva defossa*; Fabiorum *trecenti sex ad unum ab hostibus cæsi*. Et aliquot bella *contrà Volscos, Æquos & Vejentes*. LIB. II.

Partim à Consulibus cum aliis, & vel simpliciter cum Tribunis; *ubi* Seditiones *de Agrariis legibus*; Census *actus*; Dictator *factus*; Decemviri *electi*; *iidem propter* Appii Claudii *libidinem exclusi*; *&* iniquum Iudicium *populi* Rom. *de Agro, quem sibi adjudicarant, habetur* LIB. III.

Mixtim cum Magistratibus, ùt cum Dictatoribus: *postquam* Lex de Connubio *Patrum & Plebis, contentione magna, impetrata*; Censores *creati*; *variaq;* Bella *cum Vejentibus & Fidenatibus gesta*. Conjuratio servorum *oppressa*, stipendiumque *ex ærario militibus datum*. LIB. IV.

Cum Consularibus & Tribunis: *ubi quod* Hybernacula *in obsidione facta sunt*; Tribuni conquesti *non dari militiæ requiem*; Equites *equis mereri cœperunt*. Furius Camillus *Vejos occupavit*; idem *hostium filios proditos remisit*; *in exiliumq; abiit*. Galli *Urbem occuparunt, & majores natu cum insignibus honorum occiderunt*. Capitolium *clangore anserum liberatum*. Furius *quoque* Camillus *Gallos Urbe expulit*. LIB V.

Post captam Urbem, *tùm* antè Lustrum conditum, *partim* antè subjugationem privatim seu intra imperium cum vicinis.

Tùm

Tùm quod res adversus Æquos, & Volscos, & Hetruscos *prosperè gestæ*; Tribus *quatuor additæ*; Manlius *cum obstrictos ære alieno liberaret, crimine affectati Regni damnatus, de Saxo Tarpejo dejectus est*; Consules ex plebe *facti*. LIB. VI.

Tùm quod duo novi Magistratus adjecti, Prætura & Ædilitas; Ludi Scenici *instituti*; Curtius *voraginem patentem Urbis Romæ expiavit*; Manlius Torquatus *factus*; Amicitia *cum* Carthaginensibus *juncta*; *&* Campani *deditii facti*; militesque Romani liberati *ex magno discrimine*; *habetur*. LIB. VII.

Extra Imperium cum peregrinis, *de* Defectione; *postquam* Campani cum Latinis defecerunt, *voluerunt ut* ex *Latinis consul fieret*; Titus Manlius *filium suum, quod contrà Edictum pugnaverat, securi percussit*; Latini *in deditionem venerunt*; Ausones *victi sunt*; Veneficium *matronarum deprehensum*; *res præterea contrà* Samnites *prosperè gestæ continentur*. LIB. IIX.

De Subjugatione: *ubi deductus in locum iniquum exercitus, nullaque spes evadendi esset*, Fœdus cum Samnitibus *factum, ut sub jugum mitterentur*; *sed cæsis Samnitibus, receptisq; obsidibus pudor flagitii abolitus*; via *strata*; Libertinorum filii *in Senatum lecti*; *res contrà* Apulos *feliciter gestæ*; *&* *de* Fabio Maximo, *habetur* LIB. IX.

Lustrum ubi conditum, *postquàm* Coloniæ *deductæ* Collegium Augurum *ampliatum*; *Romanusq; exercitus esset in discrimine* Decius *sese devovit pro exercitu, & morte sua victoriam populo dedit*; Census que *actus est*. LIB. X.

In Epitomatis, *quæ injuria temporum interierunt, & quorum Epitomæ tantum supersunt*.

Et habetur in Epitomatû, quæ gesta *fuerunt, vel* cum Sociis *seu* Vicinis, *& vel* singulatim *contrà* anniversarios *quasi hostes*.

Cum Samnitibus, *quos* Fabius Maximus *vicit, & quorum Imperatorem ductum in triumpho securi percussit*. LIB. XI.

Cum Senonibus Gallis, *qui Legatos Romanorum interfecerant*; *cum* Hetruscis, *&* aliis. LIB. XII.

Contrà Inopinatos.

Contrà Pyrrhum, *à quo* cæsi, *& qui frustrà petiit, ut componendæ pacis causa in Urbem reciperetur, dissuadente* Claudio. LIB. XIII.

Et ubi Pyrrhus in Siciliam *trajecerat*; Curius Dentatus *eum Italia expulit & cum* Ptolomæo Ægypti Rege Societas *juncta est*; Virgoque Sextilia Vestalis *damnata incesti viva defossa*. LIB. XIV.

Acervatim cum Tarentinis, *quibus victis pax & libertas data est*; *tùm* Picentii.

centibus, Umbris & Salentinis; *quo tempore etiam* populus Romanus primùm argento uti cœpit. LIB. XV.

Vel cum Peregrinis, *ùt cum* Pœnis.

Quoad Originem Carthaginensium, *contrà quos &* Hieronem Regem *Syracusanorum pugnatum, transgressis mare Equitibus* Romanis; primum Munus Gladiatorium *in honorem defuncti Patris editum à* Junio Bruto. LIB. XVI.

Quoad Bella Marina: *tùm quod* Duilius Consul primus *omnium Romanorum* Navalis Victoriæ Dux; Annibalque *à militibus suis in crucem sublatus sit.* LIB. XVII.

Tùm postquàm Attilius serpentem *portentosæ magnitudinis in Africa occiderat,* victus *in prælio navali & captus*; Ducibus Romanis deformandæ classi *ansa præbita*; *&* Corruncanus primus ex Plebe Pontifex Maximus *creatus*; Regulusque *missus à* Carthaginensibus *ad Senatum, ut de pace ageret, jurejurando astrictus rediit.* LIB. XIIX.

Quoad Terrestria: *ubi* Cæcilius Metellus *rebus adversus Pœnos prosperè gestis speciosissimum* egit Triumphum; *&* Claudius Pulcher *contrà auspicia profectus infeliciter pugnavit*; *Finem bello imposuit* Luctatius; *petentibusq;* Carthaginensibus pax *data.* LIB. XIX.

Cum Illyriis, *qui Legatum occiderant; nec non cum* Insubribus, *&* aliis pugnatum. LIB. XX.

Quoad Majorem ætatem *quæiterum exstat tùm in* Juventute, *de qua vel* integra *sunt* Opera *de* Bello Punico, *cujus describitur* initium.

Tùm quomodo Annibal Pœnorum Dux *contrà fœdus, per* Iberum *transierit,* Saguntumque *occuparit*; *& tandem superato* Pirenæo saltu *per* Gallias *ad* Alpes *venerit, descenderitq;* in Italiam. LIB. XXI.

Tùm quomodo Annibal *per vigilias continuas in paludibus oculo amisso venerit in* Hetruriam, Romanosque *occiderit*; *& quod* Fabius Maximus cunctando *Annibalem detinuerit, ad* Cannasque *pugnatum sit infelicissimè*; Scipio *Tribunus militum* jurejurando *obstrinxerit Italiam à se non relictum iri.* LIB. XXII.

Progressus, *quatenus* bellum gestum intra Europam *vel à* variis Ducibus, *cum* proficiscentibus in bellum; *quomodo* Campani defecerint *ad Annibalem post Cannensem cladem*; Occisorum Romanorum annuli *aurei detracti à digitis* modii mensuram implerint. *Et quomodo* Hanno suaserit, *ut* pacem Carthaginienses victores *à populo Romano peterent.* Exercitus Annibalis luxuria *enervatus*; Casilinum *obsessum, ita* fame *vexatum, ut lora & pelles scuto detractos, mures-*

que

que comederint; Sardinia *occupata*; & Annibalis exercitus *fusus*. LIB. XXIII.

Cùm mercenariis militibus: *uti* Rex Syracusanorum defecerat *ad Pœnos*; *Romani adversus eosdem* servorum operâ *feliciter pugnarunt*. Res *præterea in* Hispania â Scipionibus *adversus Carthaginienses gestas continet* LIB. XXIV.

Vel â Scipione *adversus* Annibalem: *ubi* Annibal *urbem* Tarentum *ceperat*; *prosperè* pugnatum; Archimedes *intentus formulis, quas in pulvere descripserat*, interfectus *est*; *rerum feliciter gestarum in Hispania tristem exitum Romani tulerunt, nisi* virtute Martii contractis exercitus reliquiis bina castra hostium expugnata *essent*. LIB. XXV.

Et quomodo Annibal propè urbem Romam castra *posuerit*, *per triduumque in aciem utrinque exercitus omnis descenderit, donec tandem tempestas diremit*; Campanique deficientes *pœnas dederint*; & Scipio *tandem suffragio populi consensuque omnium novam* Carthaginem *uno die expugnarit*: Res *præterea in* Sicilia *gestas*, & amicitiam *cum* Ætolis *junctam*. LIB. XXVI.

Adversus Asdrubalem: *postquam* Annibal cæsus *recessit*, *cum* Asdrubale pugnatum *felicissimè*; *res præterea* â Sulpicio *adversus* Philippum & Achæos *gesta*. LIB. XXVII.

Extra Europam in Africa, *vel per Legatos*: *ubi res in Hispania prosperè gestæ* â Syllano Scipionis Legato *adversus* Pœnos; Triumphus *decretus Consulibus*; Ignis *negligentia Virginis* extinctus; Hispania *per* Scipionem *recuperata*. Astapa *Numidarum urbs rogo extructo semetipsam* & *omnes suos* combussit; *Et* Scipio *cum* Masanissa *Rege Numidarum* fœdus *inierit propter Africam trajiciendam*. LIB. XXVIII.

Vel per ipsum Scipionem: *tùm postquàm ex Sicilia* Lælius *missus in Africam ingentem prædam reportavit*: Bellum *in* Hispania finitum *victore Romano populo*. Pax *cum* Philippo *facta est*: Plеminius accusatus sacrilegii *in carcere mortuus est*; & *cum* falsus rumor de Scipione *in urbem relatus esset*, *tanquam luxuriaret*, purgatus infamia Scipio ipse in Africam *trajecit*. LIB. XXIX.

Tùm quod in Africa Scipio pluribus præliis vicerit: Masanissa *filiam Asdrubalis captam duxerit*; *effectumq; multis* Scipionis victoriis *ut* Annibalem ex Italia *revocarit*. *Tandem acie* victus Annibal *pacem suasit Carthaginiensibus*. Masanissæ regnum restitutum *est*. Scipio *reversus in urbem nobilissimum egit* triumphum, & primus victæ â *se* nomine gentis nobilitatus est. LIB. XXX.

De bello Macedonico, directè adversus ipsum Philippum; antè victoriam

riam cùm referuntur causæ belli adversus Philippum, *quod tempore quodam duo juvenes Athenas venerint, & in Sacrarium Cereris cum aliis popularibus intraverint; ob quod tanquam nefas factum ab Atheniensibus cæsi sint; Sed ad vindicandum auxilium à Philippo petitum; undè Athenienses, qui obsidebantur,* Romanorum *auxilium impetrarunt. Et sic* Expeditiones Philippi R*egis*, Sulpitiique C*onsulis*, expugnationesque urbis *ab utroque factas continet* LIB. XXXI.

Tum progressus illius belli, *postquam complura* prodigia *ex diversis regionibus nunciata; inter quæ, quod in puppi longæ navis* Laurea *fuerit* nata; Flaminius *Consul adversus* Philippum *feliciter pugnavit, fugatumque coegit reverti in regnum. Ipse verò* Thessaliam *&* vicinas regiones *vexavit; &* Conjuratio servorum *facta de solvendis Carthaginiensibus obsidibus* oppressa *est, multæq;* urbes in Macedonia expugnatæ. LIB. XXXII.

Post Victoriam: *tùm quomodo* Titus Quintus *cum* Philippo in Thessalia *antè victor pugnarit*; pax *petenti* Philippo *&* Græciæ libertas *sit* data; *& quod* Annibal frustrà *in Africa bellum molitus*; *qui* profugus ad Regem Antiochum Syriæ *se contulit, habetur* LIB. XXXIII.

Tùm de Lege Oppia, *facta de stringendis cultibus matronarum, quomodo ea* abrogata; *liberati* Argi; *& quod* Senatus *primùm* secreto populo ludos *spectarit*; T. Quintius Flamininus Philippum *Macedonum* Regem, *&* Nabidem *Lacedæmoniorum Tyrannum vicerit*; Græciamque *omnem liberaverit, triduo* triumphavit. LIB. XXXIV.

Adversus Antiochum: *quod* Scipio Africanus Legatus *missus ad* Antiochum, *ut metum vitæ, quem ex populo Romano conceperat, eximeret*; *Et quod* Annibalem *interrogarit, quis* maximus *fuerit* Imperator, *quodque responsum*: primum Alexandrum *fuisse*; *quodque* Antiochus Rex *Siciliæ bellum* Græciæ *intulerit, compluresq;* urbes *occuparit*. LIB. XXXV.

Et quomodo Antiochus *sit* victus; Græcia expulsus; navaliaque certamina prospera *adversus Præfectos* Antiochi gesta. LIB. XXXVI.

Indirectè quomodo in Asia antè corruptum luxuriâ populum Romanum bella gesta adversus Antiochum; *Et quod* Antiochus *victus adjuvante* Eumene; Regnum *hujus ampliatum*; Rhodiis *Civitates concessæ*. LIB. XXXVII.

Adversus Gallogræcos, *quorum origo & loca referuntur*: *Exemplum quoque* virtutis *&* Pudicitiæ in fœmina, *quæ stupratorem occidit, traditur*; Scipiones peculatus *crimine accusati*. LIB. XXXVIII.

Post corruptum per luxuriam populum Romanum bella *gesta* vivente *ad huc* Philippo Rege Macedoniæ.

Tùm

Tùm quomodo initia luxuriæ introducta *ab exercitu Asiatico*; Bachanalia *scelerum omnium seminarium, cùm ad ingentis turbæ conjurationem pervenissent, sint* sublata; L. Quintius Flamininus Senatu motus, *quod rogatu meretricis Gallum quendam occiderat*; Annibal & Philopœmenes veneno *sublati*; & causa Belli Macedonici novi *recensetur*. LIB. XXXIX.

Tùm, cùm Philippus liberos *Nobilissimorum captos conquiri ad mortem jussisset*, Theoxena *se cum liberis veneno sustulit, ut ludibrium morte effugeret*; Philippus Demetrium filium *affectati necavit*; Res in Liguribus *contrà* Celtiberos *feliciter gestæ*; & Libri Numæ *inventi, cùm plura contrà Religionem continerent, sunt* exusti; Philippus *ægritudine animi* confectus. LIB. XL.

Mortuo Philippo bellum *denuò* Macedonicum *cum* Perseo *gestum fuit, cujus* initia.

Tùm postquam Ignis *in* æde Vestæ extinctus *est*; Celtiberi *in deditionem accepti*; Lex, ne quis hæredem mulierem institueret, *lata*; Semina Belli Macedonici, *quod Perseus Philippi filius moliebatur sollicitando* Græcas Civitates & Carthaginenses, *habentur* LIB. XLI.

Et Flaccus Censor Templum Junonis Laciniæ *tegulis marmoreis spolians coactus sit* reportare tegulas; injuriæ in populum Romanum Persei *Macedonum Regis* referuntur; ei bellum *propterea* indictum. LIB. XLII.

Cujus progressus *in* oppugnando Perseo.

Tùm postquàm Prætores nonnulli *eo, quod avarè & crudeliter Provincias administrarent*, damnati *sunt*; & *cùm plures in* Græcia Urbes à P. Licinio Crasso Proconsule *expugnatæ spoliatæq;*; res prosperè à Perseo in Thracia *gestæ habentur* LIB. XLIII.

Tùm ubi Q. Marcius Philippus Consul *per invios saltus penetraverat in* Macedoniam; *sequenti anno* Perseus Macedonum Rex à L. Æmilio Paulo Consule *victus*; *ac universa* Macedoni[a] *in potestatem redacta*; & *prædicente* C. Sulpicio Gallo Tribuno Militum Lunæ defectum, *exercitus Romanus eo haud territus*. LIB. XLIV.

In expugnando: *ubi* Perseus [c]aptus *est*; Antiochus Syriæ Rex Ptolemæum & Cleopatram *obsedit*; *sed [m]issis* à Senatu Legatis, *qui juberent* ab obsidione absistere; *editisq; mandatis*, consideraturum se, quid faciendum sibi esset, *respondisset, unus ex Legatis* Po[p]ilius *virga, quam in manu gerebat, circumscripsit Regem, ac*, Priusquam hoc circ[u]lo excedas, *inquit*, redde responsum Senatui, quod referam; *quo tàm viole[n]to imperio obstupefactus, parumper quum hæsitasset*.

tasset, Faciam, *inquit*, quod censet Senatus, & Ægypto excessit; Macedonia *in* Provinciam *redacta est*; Æmilius Paulus triumphavit, *licet mors alterius Filii Triumphum praecesserit, alterius secuta*; Prusias *Bithyniae* Rex *gratulatum* Senatui & Populo Romano de Macedonia *quod* Romam *venerit*, *describitur* LIB. XLV.

Epitomata continent, *quomodo* peregrina Romani *gesserint* bella *usque ad* Syllam.

Et quomodo intestina bella *inter* Cæsarem *&* Pompejum, *usq. ad bella, quae adversus* Germanos *trans & ultra* Rhenum â Druso *gesta*, Cæsarque *occisus sit*; *traditur* LIBRIS SUBSEQUENTIBUS usque ad Finem.

Degorius Whear in Tractatu dicto, Relectiones Hyemales de Ratione & Methodo Legendi utrasq. Historias, Civiles & Ecclesiasticas, &c. Sectione XVII. XVIII. & XIX. Pag. mihi 115. usq. 130.

SECT. XVII.

T. LIVIUS *abundè, nec immeritò, laudatur. Quo tempore vixerit?* Quot libros *scripserit? Eorum Divisio undè? Quo ordine legendi? Quomodo eorum Historia vel amplificanda, vel in defectu supplenda?* Plutarchi *laudes & elogia.*

Pòst hunc *Dionysium* (*Halicarnasseum*) sequatur Latinæ Princeps Historiæ, T. LIVIUS, eloquentiæ ac fidei præclarus imprimis: Id ei enlogium tribuitur apud *Tacitum* à *Cremutio Cordo*, quod prolixius confirmat *Quintilianus*, ubi eum cum *Herodoto* componit: *Non indignetur* (inquit) *sibi Herodotus aequari T. LIVIUM, cùm in narrando mirae jucunditatis, clarissimique candoris, tùm in concionibus suprà quàm enarrari potest eloquentem, ita dicuntur omnia, cùm in rebus, tùm personis accommodata. Sed affectus quidem praecipuè eos, qui sunt dulciores (ut parcissimè dicam) nemo Historicorum commendavit magis; ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est.* Neque hisce inferius (licet recentius) est *Casauboni* Viri Clarissimi atque eruditissimi de eo testimonium: *Magnus (Deus bone!) auctor T. LIVIUS,*

Annal. 4. *Lib.* 10. *cap.* 1. *In Praefat. ad Polyb.*

VIUS, lactea quadam ubertate dictionis divinitus facundus, amans virtutum, osor vitiorum, rectus judicii, rerum togæ, rerum sagi (etsi non eo usu neque experientia, egregiè tamen) peritus: denique, si quid judico, hoc solum ingenium (de Historicis loquor) *Populus* R*omanus par imperio suo habuit.* Solidæ sunt hæ laudes, & satis prolixæ, quibus ornatur T. LIVIUS; neque tamen mihi possum temperare, quin huc etiam adscribam *Joannis Alariensis Episcopi* de eo censuram; quam adeò miratur *Ludovicus Vives.* Et reverà spero, me quoque sic facturum rem studiosis utilem juxtà & gratam; siquidem virtutes ostendet, quas in Historia sequamur, & quæ fugiamus vitia: sive hæc ille in T. LIVIO observarit, sive in ratione Historiæ componendæ, sive in collatione amborum: *Non illum* (inquit) *varietas confusum, non simplicitas Historiæ fastidientem reddit. In tenui, quod persæpè accidit, atq; humili rerum materia non est exanguis, aridus & jejunus; in copia verò ac magnitudine, non turgescens ac vastus; plenus citra tumorem, æquabilis ac lenis citra mollitiem, nec luxuriosè effluens, nec nimia sterilitate tabescens. In asperis rebus non salebrosus, neque languens; in mollibus non violenta & coacta oratione subsultans; non ita tamen copiosus, ut nimius; neque ita suavis, ut lascivus; nec adeò levis, ut remissus, non sic tristis, ut horridus; neq; ita simplex, ut nudus; aut adeò comptus, ut affectata compositione calamistris videatur inustus: par verbis materia, par sententia rebus. In re gesta exprimenda, gravis atq; magnificus, & tamen succinctus ac proprius. In narratione naturalis, & semper spectatus, ordinem minimè confundens, & rerum eventa non præcurrens; minimè in gratiam adulator, aut reprehendendo parcus in veniam, non amarulentus in noxam. Ipsi quoque Senatui, Ordini illi Orbis terræ Moderatori venerando, Populoque Romano Terrarum Principi, si vel temeritate præcipites, vel errore lapsi, vel quacunq; forent ratione suprà modum justumq; evecti, nequaquam parcens. Res etiam adversariorum debita commendatione non defraudans, ut modò narrator tantùm, modò censor esse videatur; atq; ita severus & tetricus, ut ne Censoribus quidem gravissimis, quibus nihil Romæ sanctius fuit, ubi facto usus fuerit, unquam ignoverit. At verò in concionibus antè omnia verborum parcus, sententiarum dives, multò est verbis, quàm sensu restrictior atq; concisior; in qua parte non cæteros Scriptores tantùm, sed seipsum quoque longè antecellit.* Hæc ille de LIVIO, inquit *Ludovicus Vives*, atque adeò

De Ration. dicen. Lib. 3. Pag. 194 I. de Hist.

de

Hiſtorico optimo. Sub *Auguſto* ſuam edidit Hiſtoriam; quarto *Tiberii* anno mortem obiit. *Libros* ſcripſit *Centum & quadraginta*; quos in *Decades*, non ipſe, ſed faſtidioſa legentium ſcindit ignavia *Petrarchæ* opinione. Verùm ex his *Triginta quinque* ſoli ſuperſunt.

Variar. Epiſt. 22.

Quorum *tres* quidem *priores* multa habent cum Dionyſio communia; tanta tamen ſermonis ſuavitate atque elegantia deſcripta, ut repetitionis Lectorem pigere nequaquam poſſit. Reliquis *Septem Libris primæ Decadis*, Hiſtoriam continuat Auctor ad Annum U. C. 461. (Notandum: *Quod Auctor hic à Calculo meo diſcrepet Uno Anno; dum FASTI mei LIVIANI initium Hiſtoriæ Libri XI. LIVII numerant ab Anno U. C.* 460.) Jam verò, priusquàm ulteriùs progrediatur Lector noſter, quamvis locupletiſſimam fortaſſis primorum temporum *Romanorum* ex *Dionyſio Halicarnaſſeo*, & ex prædictis T. LIVII Libris Hiſtoriam nactus jam fuerit; hoc in loco tamen haud inutiliter legi poſſunt *Plutarchi Romulus*; *Numa Pompilius*; *Valerius Poplicola*; *Coriolanus* & *Camillus*. Haud inutiliter, dixi; ecquid ejus Auctoris ſine magno emolumento & operæ pretio legi poteſt? præſertim ſi Lector ſeriùs accedat, perſpicax & judicandi peritus? Theſauros Sapientiæ, doctrinæ, Hiſtoriæ, in *Plutarcho* reperire eſt. Immò ſunt, qui ejus monumenta (*Parallela* dico majora, & *Moralia*) omnium veterum Hiſtoriæ Scriptorum, omnium denique qui præclarè, rectè, ac ſapienter aliquid aut fecerunt aut dixerunt (ſeu Græcos ſeu Latinos putemus) *Bibliothecas* eſſe affirmarunt. Ut non immeritò *Theodorus Gaza*, interrogatus aliquando, quemnam Auctorem ſibi reliquum fieri vellet, ſi cæteris omnibus carendum eſſet? unum *Plutarchum*, reſponderit. Hac propter eum toties Hiſtoriarum ſtudioſis, ſuprà & deinceps, commendamus; atque per partes legendum, ſed ſuo quasque tempore præcipimus.

In Notis ad Polit. Lib. 1. *Cap.* 9. *Epiſt. de Stud. Polit.*

Per partes (inquam) quia uti *I. Lipſius* non propriè Hiſtoriam, ſed particulas Hiſtoriæ ſcripſit, & *ablegit illuſtrium virorum vitas*. Et tamen inibi (ſi *Coleri* judicio ſtemus) omnibus numeris Leges Hiſtoriæ abſolvit magis, quàm *Suetonius*, aut alius talis. *Utcunque, dignus Herculè, ſi quis alius* (opinione *Lipſii*) *Principe Scriptor, qui judicium mirificè format, & diffuſa ac plana quadam ſcribendi via ad virtutem ubique & prudentiam ducit.*

SECT.

SECT. XVIII.

T. LIVII Decas Secunda, *hoc est, á Libro* 10. *ad* 21. tota interiit. *Quomodo, & Undè ea Historia suppleri possit?* Appianus Alexandrinus. *De eo quid censeant viri doctissimi?*

Sed ut pergamus, quò eundum erat in T. LIVIO, à Libro ejus decimo ad vicesimum primum, *tota Decas Secunda* desideratur. Historia scilicet *Annorum Septuaginta*, ab Anno videlicet U. C. 461. ad Annum U. C. 531. (Notandum: *Quod denuò Auctoris hujus Calculus discrepet à FASTIS meis LIVIANIS, quibus Liber Historiarum T. LIVII XI. incipit ab Anno U. C. 460. & Liber XX. desinit in Anno U. C. 531. & sic intervallum temporis Decadis Secundæ LIVIANÆ HISTORIÆ, quæ tota intercidit, est Annorum Septuaginta duorum.*) intrà quod temporis intervallum (præter alia notatu apprimè digna) incidisse dicuntur Bellum *Tarentinum cum Pyrrho Epyrota*; Bellum *Punicum primum*; Bellum *Ligusticum, Illyricum*, & *Gallicum*. Huic igitur defectui supplendo inserviunt *Epitomastis* illius (Auctoris nostri cognominis) argumenta. Ad consummandam verò istorum temporum Historiam, adsciscendus est *Plutarchi Pyrrhus*, nec non *Justini* Liber *Decimus septimus*, indè *Decimus Octavus*. Denique *Vicesimus secundus*, & *Vicesimus tertius*. Hisce adjungenda *Quatuordecim* Capita Libri *Quarti Orosii*: Et *Quatuor prima* Capita Libri *Tertii* Historiæ *Miscellæ Diaconi*. Præcipuè verò *Polybii* Lib. 1. & 2. Ubi de Bello *Punico* primo, licet plenam non habeamus Historiam, plura tamen, quàm apud omnes *Latinos*, qui extant, inveniemus. Idem de Bellis, quæ *Romani* gesserunt cum *Gallis*, in *Italia* degentibus, censendum. Huc etiam possunt advocari *Fabius Maximus Plutarchi*, & *M. Marcellus*; qui fortiter inprimis & feliciter contrà *Ligures* & *Gallos Cisalpinos* pugnavere: sicuti posteà fecerunt bello *Punico Secundo* adversus *Carthaginenses*; siquidem ille primus *Annibalem* mora fregit; hic eum posse vinci primus docuit, uti scribit Auctor de *Viris Illustribus*. *Cap.* 45. Postremò *Joannes Zonaras*, qui res *Romanas* ab Urbe Condita ad *Constantinum Magnum* breviter perstrinxit, Tomo *Secundo Annalium*,

potest fortassis adminiculi huc aliquid conferre, ad lacunam illam in Historia LIVIANA explendam: nonnihil etiam *Appianus Alexandrinus* in *Punicis* & *Illyricis*, Scriptor ex Censura *Photii*, quoad ejus fieri potuit, veritatis amans. Militaris disciplinæ (si quis alius) enarrator: sed unus est ex omnibus Historicis, qui Romanorum provincias, opes, exercitus, totiusque Imperii descriptionem ad intuendum, velut in subjecta tabula, proponit; uti observavit Joannes *Bodinus*. In eorum tamen Antiquitate sæpissimè offendit, inquit idem *Bodinus*. Et *Josephus Scaliger* in *Animadversionibus Eusebianis* eum in Historia *vel admodum infantem fuisse* autumat, vel *multa ejus Syriacis esse adsuta*. Quin & doctissimus *Vossius*, eum *Polybio* multum debere, ac *Plutarchum* ad verbum exscribere solitum, affirmat. Reverà *Franciscus Balduinus* aliquot *Plutarchi* in *Crasso* paginas, de Bello *Parthico*, in Libris quoq; *Appiani* repetitas legi fatetur. Verùm id esse factum suspicatur, non ab ipso *Appiano*, qui *Plutarcho* fuit æqualis; sed à Librariis, ut supplerent aliquam in *Appiani* Commentariis lacunam.

Biblioth. Cod. 57.

Method. Histor. Lib. 2. cap. 4.

Balduin. Lib. 1. de Instit. Hist. pag. 87.

SECT. XIX.

Ad reliquos viginti quinque *Libros T. LIVII ubi pergendum? Eorum Historiam quinam alii Auctores confirmare aut illustrare possint?* Decades novem posteriores cum dimidia *prorsus desiderantur. Undè resarcienda earum jactura?* Sallustii *Historia laudatur.* Item Cæsaris *Commentarii, ab eruditis prisci ævi, juxtà & modernis.*

Hisce utcunque subsidiis auctus, Lector noster, Historiæ studiosus, ad Librum XXI. T. LIVII procedat, hoc est, ad *Decadem Tertiam*. Indè continenter pergat omnes reliquos, quotquot supersunt, diligenter ordine percurrere, (*Duas* videlicet *Decades* & *dimidiatam*) in quibus Historiam minimè intercisam, Annorum Quinquaginta & Sex, videre potest, usque ad Annum *U. C.* 587.

(No-

(Notandum: *Quod denuò Auctor differat à* Calculo *FASTORUM horum LIVIANORUM; dùm Hi Initium Libri XXI. Historiæ LIVIANÆ collocent in Anno ab U.* C. 532. *& Finem Libri XLV. in Anno ab U. C. 585. quod est spatium Annorum Quinquaginta Quatuor.*) sed & unà cum istis *T. LIVII Viginti quinque* Libris (totidem enim pòst primam *Decadem* commune naufragium evaserunt) præter illos *Plutarchi* suprà nominatos, *Fabium* & *Marcellum*, conjungit *Annibalem*, *Scipionem Africanum*, *T. Quinctium Flamininum*, *Paullum Æmilium*, *Catonem Majorem*, sive *Censorium* vocatum. Horum enim quilibet intrà spatium prædictum floruit, eorumq; singulares Historias, & unà rerum R*omanarum* successus, *Plutarchus* literis aliquantò fusiùs, nec minùs luculenter consignavit. A Libro XLV. *T. LIVII Novem Decades* cum *dimidia*, (Quatuordecim enim scripserat) hoc est, *Nonaginta & quinque Libri*, communi (inquam) illo & deplorando naufragio periere: Historia nimirùm Annorum 157. usque ad mortem *Drusi Neronis*, *Augusti Cæsaris* privigni; qui bellum *Germanicum* ultrà *Rhenum* administrans, fato est functus Anno U. C. 744. (Notandum: *Quod Auctor iste in uno conveniat cum calculo FASTORUM horum LIVIANORUM, videlicet in Spatio CLVII. Annorum, quo Liber XLVI. Historiæ T. LIVII in Anno ab U. C. 586. incipit, & Liber CXL. in Anno ab U. C. 742. desinit; in altero antem discrepet, dùm Finem Vitæ Drusi Neronis Augusti Cæsaris privigni, & sic Historiæ LIVIANÆ in Anno ab U. C. 744. scribit, qui secundùm justum dictorum FASTORUM LIVIANORUM calculum est Annus ab U. C. 742. uti suprà in ipsis FASTIS LIVIANIS, ac Eorum Præfatione ad Lectorem sufficientissimè probatum est.*) Horum Librorum periochæ, ab *Epitomatore* suprà nominato collectæ, extant; quibus amplificandis, post *Majorem Catonem* P*lutarchi*, sequantur legendi duo *Gracchi*, *Marius*, *Sylla*, *Cato Minor* sive *Uticensis*, *Sertorius*, *Lucullus*, *Pompejus Magnus*, *M. Crassus*, *Cicero*, *Antonius*, & *M. Brutus*, suo quisque tempore. Hoc inter *Sallustii* Bellum *Jugurthinum* ponat Lector. *Catilinarium* adjungat, & *Cæsaris* Commentarios. Quos Auctores etiam inter principes Historicos numeravit Antiquitas. *Sallustium Quintilianus Thucydidi* opponere non veretur. *Tacitus* eum *rerum Romanarum Auctorem florentissimum* nuncupat. A *Martiale Epigrammatista*, *Crispus Romana primus in Historia*.

Lib. 10. *Cap. I.*
Annal. Lib. 3. *Cap.* 30.
Lib. 14.

Epist. de Stud. Politico. *storia*, dicitur. Indè *Colerus ad* Stanislaum *Zelenium*: Cogita (inquit) *in Sallustio omnia fuisse, quæ in perfectum Historicum cadunt, vel Antiquorum testimonio*. Et posteà: *Bellum Catilinarium memoriter tenes: sed frustrà, nisi consideras profundam illius viri Reipubl. scientiam, quam ille vel breviculo illo Libello prodidit. Non minori arte bellum Jugurthinum confecit. Duæ illæ Epistolæ de Republ. ordinanda ad Cæsarem, nonne cælo delapsæ videntur?* *Epist. ad Max. Imp.* Justus Lipsius: *Sallustium, si mei arbitrii sit, in hoc lustro, principem Senatus Historici legere non dubitem.* Jam verò *Cæsaris* Commentarios quis non laude dignissimos, & diligenter à juventute legendos unquam censuit? *Cic in Bruto.* *Cicero* valdè probandos affirmavit. *In Præfat. Lib. 8. de Bello Gall.* *Aulus Hirtius* etiam admirandos: *Adeò probantur* (inquit) *omnium judicio, ut prærepta, non præbita facultas Scriptoribus videatur. Cujus tamen rei* (pergit) *major nostra, quàm reliquorum, est admiratio. Cæteri enim, quàm benè atque emendatè, nos etiam quàm facilè atque celeriter eos perscripserit, scimus.* Quid Critici hodierni? haud minoris æstimant. *De Histor. Latin. lib. 1. cap. 13.* Clarissimus Vossius: *Scriptor est purus & elegans, inque verborum structura accuratus, ac omninò placidi instar fluminis procurrens: interea πολιτικὸς ac gravis in sententiis; quo Xenophontem exsuperat: cæteroquin ei non dissimilis multùm.* Et posteà: *Sanè ex eo haurire est maximarum & utilissimarum rerum copiam; quam qui verborum elegantia contenti negligunt, minùs etiam pueris sapiunt, qui nunquam se ita arboris frondibus oblectabunt, ut egregios ejus fructus contemnant.* Librum de bello *Africano*, sive sit *Cæsaris*, sive *Oppii*, sive *Hirtii*, reliquis omnibus præfert *Colerus*; *In Epist. de stud. Polit.* *Ita non sanguine & colore tantùm, sed robore ac nervis ea commentatio* (inquit) *præstat: habent certè Principes, & Militares Viri, quod legant & imitentur, aut mirentur potiùs. Quis enim Cæsarem imitetur?* *A Colero & Vossio* J. *Lipsius* de *Epist. ad Maximil. Imp.* *Cæsare* nonnihil diversum sentit. Sic enim scribit: *Ex iis, qui superant, Historicis, C. Cæsar laudatur inprimis. Si ut disertus narrator, libens assentior; est enim ejus viri pura oratio, sine fuco & calamistris ornata, vel Romanis vel Atticis Musis dignissima: Sin ut perfectus Historicus, dubitare me dicam, cùm & nonnulli fidem ejus in Historia Civili requirant, & tertium illud ἠθικὸν καὶ πολιτικὸν totum ei desit. Itaque ipse Cæsar, cæteroqui minimè sui contemptor, Commentarios inscripsit, non Historias; & hoc ipso laudem veram meruit, quod falsam contempsit.*

(O)


DUBLET
Bib. Jag.

